

INFORMATION TO USERS

This manuscript has been reproduced from the microfilm master. UMI films the text directly from the original or copy submitted. Thus, some thesis and dissertation copies are in typewriter face, while others may be from any type of computer printer.

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleedthrough, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send UMI a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

Oversize materials (e.g., maps, drawings, charts) are reproduced by sectioning the original, beginning at the upper left-hand corner and continuing from left to right in equal sections with small overlaps.

ProQuest Information and Learning
300 North Zeeb Road, Ann Arbor, MI 48106-1346 USA
800-521-0600

UMI[®]

Laudetur Jesus Christus
et
Maria Immaculata


De demonstrabilitate Dei existentiae.

In solemnitate Resurrectionis Domini

René LeBel, O.M.I.

Ottawa, die 15a aprilis A.D. 1929

guin 21932



UMI Number: DC52540

INFORMATION TO USERS

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleed-through, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.


In the unlikely event that the author did not send a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

UMI[®]

UMI Microform DC52540
Copyright 2007 by ProQuest LLC
All rights reserved. This microform edition is protected against
unauthorized copying under Title 17, United States Code.

ProQuest LLC
789 East Eisenhower Parkway
P.O. Box 1346
Ann Arbor, MI 48106-1346


II



Sacratissimo
Corde Jesu
qui omnes sanctos doctores
implevit spiritu
sapientiae et intellectu
et
Beatae Mariae Immaculatae
sedi sapientiae
et mediatri omnis gratiae
hoc parvum opus
pie dedicatur.



III




"Interroga omnia et vide

si non sensu suo

tanquam tibi respondent: Deus nos fecit."
(St. Augustin. De Verb. Dom. Sermo CXLI ci-II).



0 0



Pagina


2) Negative

Confutantur tenentes sen-
tentias oppositas.

1. Ontologismus et realismus exaggeratus.	35
2. Fautores argumenti ontolo- gici.	39
S. Anselmus.	40
Cartesius.	42
Leibnizius.	43
3. Scholion: S. Augustinus et ontologismus.	44

Secunda Pars: De existentia et natura medii ad
cognoscendam Dei existentiam.

1. De existentia et natura medii in genere.	46
a) De existentia medii.	46
b) De natura medii demonstrationis meta- physicæ et physicæ.	47
(i) In quo conveniunt.	47
(ii) In quo discrepant.	49
c) Diversi medii in demonstratione meta- physici.	56
(i) Medium univocum.	57
(ii) Medium analogum.	58



0 0

Summa Theologica: 1a Pars, q. 2-3; q. 12; q. 45; q. 85.
Contra Gentiles: lib. I c. 12; Contra Gentes: I-III c. 38.
De veritate: q. 22, a. 7; In Post. Analyt., l. I-II; Arist.
Met. l. I ad lect. 2; I. VI ad lect 5.

Cursus Philosophicus: log. Ia Pars, q. XXV.
Cursus Theologicus: Ia Pars q. 2-3; q. 12; q. 45; q. 85.

Summae Theologicae S. Thomae Commentaria: 1a Pars, q. 2-3;
q. 12; q. 45; q. 85.

Summae Contra Gentiles S. Thomae Commentaria: lib. I c. 12
p. 28.

Post. Analyt., lib. I & II Commentario.
"Oeuvres Philosophiques" t. 1-2-3.

"Dieu - son existence" p. 1-343.

Commentaire des vingt-quatre thèses thomistes.

Commentaire des vingt-quatre thèses thomistes.

Somme Théologique de S. Thomas: "Dieu" t. I, q. 2, p. 64-83
et appendice II; t. II, q. 12.
"La croyance en Dieu".

Somme de S. Thomas la Pars, q. 2 & 3; q. 12; q. 45; q. 85.



Bibliographia

Dictionnaire de Théologie catholique.

Art. "Dieu" (Son existence)

Billuart


Cursus Theologicus, dis. 1

Gonetus

Clypeus Th., disp. 1, ad quest. 2. D. Thomae.

P. Gréât

Elementa Philosophiae, t. I-II.



DE DEMONSTRABILITATE DEI EXISTENTIAE

Prologus

Demonstrabilitas Dei existentiae ita est tanti momenti ut ex ea pendet solutio omnium questionum quas metaphysicus, post contemplationem creaturarum rerum essentialium ordinis, certe considerat. In mundo enim tanta includuntur imperfectio, mutatio, contingentiaque ut in eo, philosophus, responsum sufficientem interrogationibus quae ejus intellectum praecoccupant circa originem omnium entium, invenire non possit. Tunc pro eo ponitur problema: an sit Deus. Et proinde viam per quam ducetur ad scientificam Dei existentiae cognitionem quaerit.

Quid sit haec via? Aut potius quomodo intellectus talem ascensionem facere vel talem veritatem palam ostendere valeat? Aliis verbis num possimus naturaliter cognoscere Dei existentiam? Sitne immediate vel mediate? Tot sunt graves questiones jam positae per titulum cujus unumquodque membrum, ante intentionis dissertationis declarationem, enucleare oportet. Et igitur prius sermonem habebimus circa haec tria: demonstrabilitas, Deus et existentia.

I. Demonstrabilitas, quae primo constat, nihil aliud est nisi possibilitas intellectus nostri acquirendi per demonstrationem alicujus cognitionem veritatis de qua

possit esse dubitatio vel questio. Unde ad maiorem intelligentiam huius notionis et etiam totius problematis naturam demonstrationis ejusque elementorum tractare oportet.

1. Demonstratio "quoad nomen" idem sonat ac rem "palam monstrare" ut cum aliquid ob oculos ponimus ut videant. Quoad rem late sensu definiri potest "rationum quodcumque quo habetur conclusio certa et vera" vel "argumentatio ostendans aliquam veritatem seu propositionem" vel tandem "argumentatio quae ex certis ac evidentibus praemissis conclusionem deducit". Sed stricte sensu per causam finalem definitur "syllogismus efficiens scire". Scire autem nihil aliud est quam cognoscere aliquid perfecte, certe, et necessario, seu in verbis Aristotelis "cognoscere causam propter quam res est quod huius causa est et non posse hoc aliter esse". Constat etiam alia definitio per causam materiale, scilicet per principia intrinsecus constituentia essentiam demonstrationis, nempe "syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis". Ex his autem definitionibus deducuntur omnes conditiones demonstrationis ejusque elementorum. Nam per primam indicatur forma argumentationis quae tantum habet dispositionem ad generandum assensum firmum in intellectu, scilicet syllogismus; et effectus demonstrationis, quod est generare scientiam. Per secundam autem enunciat quidquid requiratur ad scientificam conclusionem generandam.

2. Elementa demonstrationis "in se" duplici sub aspectu considerari possunt "elementum circa quod" versatur demonstratio et "elementa quae" ex quibus resultat demonstratio i.e. praemissae seu principium et medium. At tum "elementum circa quod" tum "elementa quae" conditionibus specialibus gaudere debent. Haec enim exprimuntur per definitiones demonstrationis supra allatas.

Ad "elementum circa quod" quod est thesis seu propositio probanda, propositio demonstrabilis requiritur; secus inutilis esset demonstratio. Nunquam enim est demonstratio de quibus dubitatio non est, vel etiam de quibus antecedentibus cognitionis capacitatem intellectus nostri. Et ideo prima definitio dicit: Syllogismus "efficiens scire". "Efficiens" enim quia si loquimur de scientia actuali non tota demonstratio sed praemissae convenienter dispositae et admissae sunt causa scientiae. Nam praemissae sunt causae conclusionis primo "effective" cum intellectus actuatum per conceptus, per assensum praemissarum ad inferendam conclusionem; secundo "formaliter" ipsa enim objecta seu res cognitae ipsaeque praemissae specificant "virtualiter" in quantum continent veritates illatas, et "mediate" cum formaliter et explicitate in ipsam veritatem conclusionis tendunt. Si agitur de efficientia non actuali sed habituali scientiae, ipsa tota demonstratio est causa quia per actus similes, ad quos inclinant, habitus scientiae generantur et acquiruntur. "Scire" autem praemissae facere debent ut cognoscamus perfecte, certe, necessario seu ut cognoscamus causam propter quam

res est, causam formaliter tanquam causam hujus rei et per causas indefectibiles i.e. cognoscere aliquam rem absolute et non modo sophistico.

Conditiones autem elementorum "quae" seu ex quibus constat demonstratio exponuntur per secundam definitionem ex causa materiali. Praemissae enim si absolute sumuntur esse debent verae, primae et immediatae. Nam conclusio ut sit vera per se sequi debet ex praemissis "veris": verum enim non potest sequi ex falso; "primis" scilicet ex praemissis quae non habent propositiones priores se ex quibus demonstrarentur; "immediatis" quia carent modio quo demonstrarentur non tantum "formaliter" et "in se" sed etiam actualiter: daretur enim processus in infinitum si praemissae non essent indemonstrabiles saltem secundum quid et proinde nulla scientia esset possibilis. Et ideo definitio dicit ex "veris, primis, immediatis". Praemissae autem si sumuntur relative ad conclusionem, qualiscumque sit demonstratio, parum refert, tres condiciones exigunt. Conclusio enim primo ex causis semper procedere debet. Quia medium terminum quo connectuntur praemissae causam conclusionis saltem in cognoscendo esse oportet. Ita demonstratio "propter quid" non semper procedit ex causa quae formaliter est causa physice sed ex causa virtualiter vel metaphysice ita quod unum se habeat ut ratio alterius. V.C. Prima passio respectu essentiae ab ea causatur et dimanat. Cum enim unum attributum in Deo probatur ex alio, vel passionem entis de ente, hic non est

causalitas in essendo sed in cognoscendo tantum. Medium enim in re non est realiter distinctum a principio sed ratione tantum et hoc sufficit ut conclusionis causa dicatur.

3. Elementa demonstrationis relative ad nos

etiam conditiones requirunt. Omnis enim demonstratio ex praeexistenti cognitione fit. Aliis verbis omnis conclusio ignota notiori ex aliquo principio deducitur, sicut res generatur in actu non ex nihilo sed ex aliquo in quo continentur in potentia, nempe ex materia. Ex hoc autem oritur quod aliquid sit praecognoscendum ad alicujus veritatis certae, immediatae et necessariae acquisitionem per demonstrationem. Quae autem praecognoscenda sunt? seu quae praecognita sunt?... Cum enim cognitio simplex praecedat cognitionem compositorum, necesse est ut antequam habeatur conclusionis cognitio, cognoscantur aliquo modo subjectum et praedicatum, seu praemissae (principium & medium). Et ideo haec dicuntur praecognita.

Praecognita autem diverso modo cognosci possunt. Nam eorum praecognitio esse potest vel circa existentiam, possibilitatem et cognoscibilitatem, si sunt incompleta, seu circa veritatem, si sunt complexa; vel circa naturam rei et nominis. Et ita de subjecto praecognoscendum est "an sit", non tam "an sit existens", cum enim scientia abstrahit ab existentia in rerum natura, sed potius an sit possibile, quia scientia versatur circa res existentes aut habentes fundamentum in rebus, non autem circa chimaeras; et etiam "quid sit", nam processus striete scientificus

(in demonstratione "propter quid") supponit definitionem realem subjecti; cum enim unumquodque secundum naturam suam proprietates habet, si quidem proprietates alicujus rei effluunt ex natura ejus. In demonstratione "quia", cum enim processus non est ex essentia subjecti seu ex causa, constat praecognoscendum esse "quid est" nominis tantum. De praedicato autem praecognoscendum est tantum "quid est" nominis: secus inutilis esset demonstratio ut patet. Nam "quod est" probandum est et definitio realis a "quod est" dependet. De principio tandem, cum sit complexum, praecognoscendum est tantum quia verum est, ut antea diximus.

Hae notiones demonstrationis in his paucis verbis explicatae indigerent copiosa explicatione majori cum integritate. Attamen eas putamus sufficere ad intelligentiam dissertationis. Insuper postea occasio ad principales notiones revertendi oblata erit. Et tunc has enucleatius exponemus in quantum poterimus.

Sed de quonam demonstratione agimus? De quanam rei dubitatio vel questio est? Hoc innotescet per explicationem terminorum: Deus et existentia.

II. Deus secundum etymologiam nominis a radice div, quae significat lucere, desumitur: Quid enim, nisi lumen, inter res sensiles a quibus intellectus humanus objective dependet, majori cum nobilitate, majorique cum convenientia exprimer^e valeat conceptum Entis quae dicitur "Candor lucis aeternae" (Sap. 7, 26), "Splendor gloriae" (heb. 1, 3), "Lumen de lumine" (Symb. Nic.). Et merito quia enim quisquis nomine Dei intelligit ens quo majus et melius cogitari non potest, ens incausatum, essentialiter

existens, necessarium, actus purus continens in se omnem perfectionem, uno verbo ipsum esse subsistens.

III. Existencia: Hoc nomine existentiae significetur id per quod respondetur questioni "an res sit". Cum autem propria definitio de re simplicissima dari non potest, existencia ita describitur: "Id quo res existit seu quo est extra causas et extra nihilum", "Actus substantiae", "id quo substantia denominatur ens", "actualitas omnis formae et naturae", "ultima rei actualitas", "actualis rei praesentia in ordine physico seu reali". Unde constat ex his diversis definitionibus fere eisdem, quod existencia est actus. Actus autem dicit perfectionem. Perfectio ut talis et ut sola est, est infinita. Ratio enim finiti habetur ex entitate limitata. Denique limitatio est entitatis negatio. Negatio autem entitatis non invenitur nisi in subjecto in potentia. Ideo existencia quamvis quoad se sit illimitata, tamen diverso modo invenitur a parte rei quatenus vel nullo modo sit receptus, ut Deus qui est actus purissimus, vel receptus in potentia, v.g. in essentia, ut omnia entia recepta in ordine entis. In his enim invenitur existencia realiter distincta ab essentia tanquam actus ultimus complens et perficiens essentiam ejusque ultima evolutio.

Jamvero existencia duplici sub aspectu considerari potest, nempe ut mente tantum apprehensa et mentis conceptu designata, et ut realis seu actu extra mentem exercita. Existencia apprehensa seu si vultis existencia in

ordine ideali seu possibili significat tantum "quid sit existere" v.g. cum cogitamus alios mundos existere, id non sufficit ad ipsorum realem existentiam affirmandam. Horum enim mundorum existentia, quae in eorum conceptu includitur, est mere idealis et ex solo actu mentis originem ducit. Unde quod reale sui exercitium in se et extra conceptum, valorem hypotheticum tantum habet, si de facto non verificatur eos realiter participare actum essendi. Existentia realis obtinetur quando aliquid vere hanc existentiam in se et extra conceptum seu quod exercitium reale extra mentem habere cognoscimus.

IV. Divisio Theses: His positis, num nobis facilius est divisionem thesis nostrae aggredi. Nam scimus duplicem conditionem ad demonstrabilitatem alicujus veritatis requiritur, nempe quod non sit evidens, neque antecellit capacitatem intellectus humani. Sed demonstratio nonne sit transitus de una veritate ad aliam mediante alia? Et proinde investigare circa possibilitatem demonstrabilitatis alicujus rei, nonne sit ipso facto inquirere vel num necesse sit, vel num sit aliqua veritas, aliquod intermedium ad eum justificandum? Haec autem veritas intermedia in demonstratione nonne sit medium seu medium terminum? Quia enim virtute medi continetur conclusio in praemissis et ex eo pendet valor objectivum omnis mediatas veritatis. Nam in eo est formalis ratio sciendi, tota vis argumenti et totus processus argumentationis. Et ideo totam thesim de demonstrabilitate Dei existentiae reduci potest ad necessitatem,

existentiam et naturam medii, cum enim ex eo pendent existentia valorque omnis demonstrationis.

Et igitur disseremus:

1. De necessitate medii ad cognoscendam Dei existentiam.
2. De existentia et natura medii ad demonstrandam Dei existentiam.

Cum autem magis universalia et communia priora sunt in nostra intellectuali cognitione, ideo in utraque parte theses tractabimus primo: de medio termino in genere; secundo: de medio termino in particulari, scilicet relative ad cognitionem nostram Dei existentiae. Problema ita positum, nobis videtur expeditior questionis intelligentia et refutatio omnium difficultatum quae plerumque ponuntur. De ontologistis, idealistis et traditionalistis qui falsa docent circa originem cognitionis, at minus ex professo, non disputabimus. Nam, ut constat, supponimus acquisite cognitionis humanae notiones.

Nunc questio aperitur. Utinam Praeceptor noster Angelicus subsidio nobis veniat ut doctrinam thomisticam magna cum claritate tractemus, ostendamusque miram ejus objectivitatem.

DE NECESSITATE MEDII AD COGNOSCENDAM DEI EXISTENTIAM

1. De necessitate medi in genere

"Videmus nunc per speculum in
aenigmate." (1 Cor. XIII, 12).

Cur intellectus quaerit medium? Est quia in propositionibus connexionem vel relationem quae intercedit inter subjectum et praedicatum non clare apparet et proinde menti non imponitur nisi in statu dubii vel questionis. Cum autem aliqua propositio immediate intellectui clarescat, aliquod medium seu lumen ut illuminetur et probetur non magis requiritur, quia ita, per suum proprium lumen intellectui satis relucet, ut in tota sua evidentia gradus intelligibilitatis seu veritatis in ea contenta menti ostendat. Sicut enim impossibile est ut solem videamus, habere lumen quod eum visibiliorem reddit, ita veritas quae sub claritate evidentiae immediate innotescit, non possit magis illuminari seu aperte demonstrari per lumen alii principii; hoc principium afferre non possit maiorem claritatem, majus lumen quam evidentia objectiva, cum haec sit supremum lumen vel criterium ultimum omnium veritatum ordinis naturalis. Et igitur duplex genus veritatum distinguere debemus relative ad nostrum modum cognoscendi, scilicet veritates "per se notae" quae non per aliquod medium demonstrantur sed per seipsas sunt manifestae, et veritates "non per se notae" in quantum carent medio demonstrante.

Sed propositio esse potest vel per se nota in ordine reali et ideali, vel per se nota in ordine reali

tantum, vel non per se nota in utroque ordine. Unde venit haec differentia, haec diversitas? Hoc videbimus postea comparando cognitionem nostram cum cognitione Dei et angeli.

1. Ordo realis et idealis apud Actum purum simpliciter. Actus purus simpliciter, scilicet Deus, in quo essentia et existentia omnino identificantur, cum sit in summo gradu immaterialitatis, perfectissimo et eminentissimo modo cognitionem intellectualem possidet. Et ita in eo ordo realis et idealis vel ontologicus et logicus, cognitum et medium cognoscendi, intellectus intelligens et id quod intelligitur et ipsum intelligere, sunt omnino unum et idem. Unde in hac perfectissima cognitione nulla est compositio praedicati et subjecti, nam Deus omnia in seipso videt sicut in causa; neque cognitio complexa per modum enuntiabilis, sed simplex intuitio maxime comprehensiva per quam in una idea omnes subjecti et praedicati, omnia principia et conclusiones, comprehenduntur. "Sicut, dicit St. Thomas, Deus scit materialia immaterialiter et composita simpliciter, ita scit enuntiabilia non per modum enuntiabilium sed unumquodque intelligit per simplicem intelligentiam; sicut nos hoc ipso quod intelligimus quid est homo, intelligeremus omnia quae de homine praedicari possunt." 1.q.14 a.4. Ergo in Deo, nulla differentia inter ordinem realem et idealem, seu ontologicum et logicum, nullum mediatum, virtuale et potentiale, sed omnis veritas est immediata formalis et actualis. Hujus ratio est quia in eo non potest esse progressus vel motus vel fieri cum enim in eo existentia cum essentia identifi-

catur, et consequenter cognitio et actio. Itaque adaequatio inter ordinem realem et idealem seu ontologicum, inter objectum et intellectum perfectissima est.

2. Ordo realis et idealis apud Actum purum in ordine essentiae. Actus purus in ordine essentiae, scilicet angelus, essentia distinguitur ab existentia et proinde etiam ab actione. Quapropter in eo ordo realis cum ordine ideali non identificatur; ergo in eis cognitum ab idea et conceptu per quem cognoscitur distinguitur. Attamen, quamvis angelus non sit actus purus in ordine entis, cum ejus intellectus intrinsece vel extrinsece independens est a materia seu ab organo corporali quoad esse et agere, nihil obstat objectum incorporale seu immateriale attingat. Cum enim constat cognoscens et cognitum habere eundem essendi modum seu eundem immaterialitatis gradum. Et igitur etiam in angelo cognitio potentialis, successiva et discursiva non invenitur, sed, sicut in Deo, veritas actualis est et cognoscitur tantum per simplicem intelligentiam seu per simplicem intuitionem. Si non cognoscit omnia sicut Deus, tamen unico actu cognoscit omnia quae naturaliter cadunt in suo objecto formali. "In angelis, dicit St. Thomas, quia statim in illis quae naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quaecumque cognosci possunt, et ideo dicuntur intellectuales." (St. Th. l.q. 58a.3)

3. Ordo realis et idealis apud actum impurum. In homine, qui ita dicitur actus impurus quia enim recipitur tum in ordine entis tum in ordine essentiae, multo differt ejus modus cognoscendi. Hujus rei ratio est quia in homine

sicut diximus de angelo, essentia distinguitur ab existentia. et proinde ab actione, nam operatio sequitur esse. Ergo in eo etiam ordo realis cum ordine ideali non identificatur. Aliud est objectum cognitum, alius conceptus per quem cognoscitur objectum.

Inmo facultas nostra intellectualis, quamvis intrinsece independens est ab organo corporali, scilicet independens a materia quod esse et agere, jungitur tamen cum sensibilibus facultatibus et ab eis objective dependet. Et igitur ad objectum habentem eundem essendi modum ac se se extendere debet, scilicet ad formas immateriales objective dependentes a materia seu formas non prout existunt in tali materia. Et sic intellectus humanus suum objectum immateriale, (ens, universale, quidditates rerum) non attingit nisi in obscuritate rerum materialium abstrahendo a materia. Unde cognoscit tantum immaterialia quae cognoscuntur in materia. In verbis Sancti Thomae: "Intellectus noster intelligit materialia abstrahendo a phantasmatibus; et per materialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem devenimus; sicut e contra angeli per immaterialia materialia cognoscunt". (1. q. 85a 1). Et ideo ratione imperfectionis nostri modi cognoscendi realitas vel objectivitas quae implicatur et includitur in initio cognitionis nostrae non intelligimus nisi mediante praedicatis partibus et successivis quae non exprimant totam et adaequatam realitatem et objectivitatem. Et ideo non statim totam rem penetrat sed e contra pedetentim procedit componendo et

dividendo. Intellectus enim primo quidditatem rei, quae est primum et proprium intellectus objectum, apprehendit, et postea proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam intelligit. Et hoc successive, quia de uno in aliud discurrit. Species enim intelligibilis repraesentat unum quod non repraesentat aliud. V.G. Quando intelligimus quid est homo ex hoc non sequitur nos intelligere omnia quae ei insunt, sed divisim et successive procedendo ex essentia ad proprietates, et ad accidentia. "Et sic hoc necesse habet unum apprehensum alteri componere et dividere et ex una compositione et divisione ad alteram procedere, quod est ratiocinari". 1. q. 85 a. 5.

Itaque, dum Deus et angelus per simplicem apprehensionem perfectam cognoscant, facultas nostra intellectualis, cum non simus actus puri in nullo ordine, cognoscit per simplicem intellectum et ratiocinium. Quamvis enim intellectus humanus est potentia unica, ratione ejus debilitate distinguere debemus duplicem modum cognoscendi: simplex intellectus et ratiocinium.

a) Simplex intellectus: Per simplicem intellectum seu per intuitionem immediate aliquam veritatem cognoscimus unico actu et sine ullo ratiocinio proprio dicto. "Intelligere enim importat simplicem acceptionem alicujus rei, unde intelligi dicuntur principia quae sine collatione, per seipsa cognoscuntur". St. Th. 1a. q. 83a. 4

Ita per primam operationem intellectus, scilicet simplicem

apprehensionem, entis rationum vel rerum essentias modo confuso attingimus, de eisque nihil affirmando vel negando. Est primum contactum intellectus cum ente. Per secundam operationem, scilicet per judicium, ideae nostrae comparantur ita ut convenientiam vel discrepantiam inter eas affirmare vel negare possimus. Et sic intellectus cognoscendo suam adaequationem cum rebus affirmat eas esse vel genus, vel species, etc...seu enuntiat principia quibus tota nostra cognitio intellectualis aedificatur.

Ad cognitionem primarum veritatum primorumque principiorum quae in eorum virtute alias veritates continent judicium et simplex apprehensio sufficeret. Sed ad cognitionem magis complexam vel ad cognitionem magis distinctam essentiarum, proprietatum etc... hi non sufficiunt. Tunc enim opus est instrumento, vel medio ita ut attingamus omnes veritates absconditas sub lumine primorum principiorum, et clare est tertiae operationis officium scilicet ratio.

b) Ratio. Per ratio non attingimus nisi veritates quae ratio proprie dicto cognoscere possumus. Et hoc est proprium scientiae humanae quae consequenter est "mediata", virtualis, potentialis. Ratio enim est cognoscere aliquam veritatem per intermedium alius veritatis, seu transire de cognitione alicujus veritatis vel propositionis ad aliam, seu affirmare aliquam veritatem per medium (medium terminum). Quatenus autem hoc

medium erit vel reale vel virtuale distinctum a principio, diversae ratiocinationes oriuntur. Ratiocinari enim est cognoscere aliquam veritatem per intermedium alius veritatis, seu transire de cognitione alicujus veritatis vel propositionis ad aliam, seu affirmare aliquam veritatem per medium. Cum enim intellectus noster non videat veritatem vel falsitatem alicujus propositionis ex sola enuntiatione terminorum, vel aliis verbis cum cognitio non sit immediata, scilicet per intuitionem tantum, in hoc casu discursus, per quem ex aliquo conceptu ad alium transimus, requiritur. Ita, ut assentiamus propositioni, v.g. "totum est majus sua parte". Hic sufficit intellectum comprehendere propositionem ex sola explicatione terminorum: "totum et pars", sine ullo alio conceptu. Sed e contra in propositione: anima est immortalis, vel Deus est aeternus, hae veritates mentis adhaesioni non imponuntur nisi mediante alio conceptu, scilicet: spiritualitas vel immutabilitas. "Immediate, dicit St. Thomas, quando ex ipsis intelligibilibus statim veritas propositionum infallibiliter apparet, et haec est dispositio intelligentis principia quae statim cognoscuntur notis terminis...; mediate vero, quando cognitio definitionibus, intellectus determinatur ad alteram partem contradictionis virtute primorum principiorum; et ista est dispositio scientiae, sicut in conclusionibus demonstrativis est". De veritate q. 14 a. 1.

Ita igitur ex his duobus modis cognoscendi qui nobis accidunt ratione indolis mentis humanae diversae

propositiones sortiuntur quatenus immediatae vel mediatæ in ordine reali et ideali obtinentur. Itaque, his notionibus acquisitis, transeamus ad propositiones per se notas vel non per se notas, quæ ita distinguuntur per Sanctum Thomam.

c) Propositiones per se notae vel non per se notae. Cum enim in cognitione nostra ordo realis seu ontologicum ab ordine ideali seu logico distinguitur, habemus igitur, ut diximus, diversas propositiones quatenus medium quod requiritur ad aliquam veritatem cognoscendam, est vel in ordine ideali seu intellectuali vel in ordine objectifo seu reali. In aliis verbis sunt diversae propositiones quatenus inter praedicatum et subjectum est distinctio sive realis, sive conceptualis, sive nominalis. Si autem inter subjectum et praedicatum non intercedit distinctio neque realis, neque virtualis, consequenter in tali propositione medium, nisi nominaliter distinctum, habere non potest. Ergo demonstratio seu ratiocinium proprie dictum non est possibile. E contra si inter subjectum et praedicatum distinctio vel realis vel virtualis intercedit, medium vel reale vel conceptuale habere potest. Et proinde demonstratio possibilis est. Si tandem inter subjectum et praedicatum non est distinctio nisi virtualis seu conceptualis, medium habetur, sed tantum in ordine ideali.

1) Propositiones per se notae quoad se et quoad nos. Omnis propositio, ut diximus antea, in

qua non tantum realitas praedicati in realitate subjecti includitur, sed etiam praedicatum in ratione subjecti clauditur, dicitur per se nota quoad se et quoad nos; quia in tali propositione, si termini cognoscuntur, immediate connexionem extremorum intellectui innotescere debet. Quod sit nota etiam quoad nos hoc clare apparet. Multae enim sunt propositiones evidentes quoad se et non pro nobis; quia aliquando subjectum non ita cognoscitur ut praedicatum immediate in subjecto claudi videatur. Unde ut talis propositio sit per se nota nobis, oportet quod sit nobis cognita ratio subjecti in qua clauditur praedicatum; ergo propositio per se nota omnibus obtinetur quando propositio habet talem subjectum cujus ratio omnibus nota est. v.g. "Totum majus est sua parte". Homo est animal rationalis. Conceptus enim partis includitur in definitione totius. Conceptus animalis rationalis includitur in definitione hominis. Quia enim possumus dicere quod esse de ratione et definitione subjecti dupliciter accipi potest: vel formaliter, tanquam scilicet subjecti essentiam ingrediens, sicut animal est de ratione hominis; vel virtualiter et consecutive, tanquam scilicet inclusum virtualiter in quidditate rei et ad rei essentiam immediate consequens, sicut de ratione ignis esse quod sit calidus, eo quod essentiam ignis sequatur caliditas, cum enim ignis esse non possit quin sit statim calidus. Et sic verum est omnem propositionem secundum se et secundum nos notam esse cum praedicatum est in ratione seu in definitione subjecti. Et ideo praedicata notarum propositionum quoad se et quoad nos sunt realiter distincta a subjecti conceptu. In his enim propositionibus non tantum realitas praedicati includitur in subjecto sed etiam conceptus

termini tantum differunt. Et ideo intellectus cognoscendo subjectum et praedicatum unico conceptu videre potest connexionem ex soli terminorum explicatione. Et sic in exemplo allato: "homo est animal rationalis" conceptus partis clauditur in definitione toti. Unde ad talem propositionem cognoscendam medium non requiritur quia inter subjectum et praedicatum non intercedit distinctio neque realis, neque virtualis sed tantum nominalis seu rationis ratiocinantis. Si aliquando utimur ratiocinio vel medio ad eam cognoscendam, hoc est ratiocinium vel medium improprie dictum, mere explicativum, quia medium non distinguitur nisi nominaliter ab extremis. Ergo per medium improprie dictum non alia veritas cognoscitur sed eadem alio modo, alio termino exprimitur et explicatur. Ideo omnes veritates sic notae dicuntur cognitae sine ullo medio proprie dicto. Et igitur recte sunt per se notae quoad se et quoad nos.

ii) Propositiones non per se notae quoad se et quoad nos. Sunt propositiones, ut vidimus, cujus praedicatum a subjecto non tantum virtualiter, sed etiam realiter seu objective distinguitur; et consequenter intellectus noster ad eas demonstrandas, medio tam realiter quam virtualiter seu intellectualiter distincto indiget. Medium enim seu causa in virtute cujus, secundum Legem Newton, gravia corpora ad centrum terrae attrahuntur, est attractio quod non pertinet ad essentiam corporis sed e contra ab eo realiter distinguitur. Ergo patet in tali propositione medium tum in ordine ideali, tum in ordine

reali ad ejus demonstrationem requiritur, quia subjectum et praedicatum non tantum virtualiter sed etiam realiter distinguuntur.

iii) Propositiones per se notae quoad se et non quoad nos. De facto sunt propositiones quorum realitas objectiva praedicati clauditur in subjecto, et igitur dicuntur immediatae quoad se. Sed conceptus praedicati non immediate includitur, in conceptu subjecti; et proinde non sunt immediate nota quoad nos. Tales propositiones quoad se pertinent ad intuitionem seu ad simplicem intellectum, sed quoad nos pertinent ad ratiocinium, ad demonstrationem et ad scientiam quia medio demonstrante indiget. v.g. Ex eo quod stellae omnes visibiles sunt non sequitur omnes visibiles esse quoad nos. Videmus enim in astronomia quod lumen aliquarum ad nos nondum perveniatur. Similiter propositio: anima rationalis est spiritualis, est per se nota quoad se sed non quoad nos. Quamvis enim anima spiritualis et rationalis sunt realiter eadem quoad se, tamen quoad nos inclusio spiritualitatis in anima rationali non immediate percipitur; et proinde rationalitas et spiritualitas in anima distinguuntur inter se saltem virtualiter, quia de facto sunt duo conceptus. Intelligendo enim animam intellectivam intellectus non immediate percipit connexionem cum spiritualitate animae sed tantum mediante operatione animae rationalis quae animae spiritualitatem manifestat. Et ita dicimus potentia quae essentias rerum cognoscit, quae conceptus formulat universales, est spiri-

tualis. Unde in hoc casu praedicatum realiter includitur in subiecto, sed tamen formaliter quoad nos, nobis opus est alio conceptu, alio medio ad relationem vel connexionem videndam. "Ad propositionem per se notam absolute loquendo, dicit Joannis A.S. Thoma, sufficere quod careat medio intrinseco; non autem quod etiam medio extrinseco careat, sive per effectus sive per causam extrinsecam efficientem, vel exemplarem...Ergo nihil obstat, medium extrinsecum ut propositio sit per se nota, siquidem ex propriis et ab intrinseco solum cognitis terminis cognoscibilis est, et ita secundum se dicetur per se nota, solum vero per accidens et quoad nos poterit dici non per se nota, si termini ipsi non communiter nobis innotescant." (Log.2.P.q.25 art.2) Sed surgit aliqua difficultas si dicimus propositionem esse per se notam quae ex propriis terminis et non per aliam propositionem nota est; unde ut dicit Scotus, propositio per se et de se nota, propterea quod, quantum est ex natura et ratione terminorum componentium ipsam, nata est habere evidentem veritatem contentam in terminis, etiam si nullus intellectus concipiat terminos: quia quantum est ex terminis cuiusque intellectui est per se nota, si concipiantur. Et sic non differret propositio per se nota secundum se et simpliciter, et per se nota quoad nos. Sed cum dicatur propositionem esse per se notam quae ex propriis terminis et non per aliam propositionem nota est, illam dicimus esse ex propriis terminis notam quae ex definitionibus terminorum cognoscitur esse vera. Et definitio autem termini dupliciter

accipitur. Vel pro definitione se tenente ex parte rei secundum quod est in se; et est illa per quam definitur et explicatur ipsa quidditas et essentia per nomen significata perfecte et secundum quod est in seipsa; vel pro definitione se tenente ex parte rei secundum quod est in intellectu nostro: et est illa quam intellectus noster de re ab ipso cognita, et ut ab ipso cognita est, format, discernendo ipsam a quaecumque alia re, licet aliquando imperfecte ut accidit in definitionibus entium analogice cognitorum. Et proinde propositio ita esse potest nota quoad se: scilicet quoad definitionem suam ex parte rei et ut est in se et tamen quoad nos, scilicet: secundum quod est in intellectu nostro non esse nota.

His consideratis circa necessitatem medii concludere possumus quod medium ad aliquam propositionem requiritur quando subjectum et praedicatum sunt realiter distincti vel quando subjectum et praedicatum etsi realiter iidem, tamen conceptualiter seu virtualiter distincti sunt. In aliis verbis quotiescumque connexio aut relatio inter subjectum et praedicatum non immediate intellectui innotescit, sive quia realiter differunt, sive quia, etsi sint eadem realitas, sunt tamen duo conceptus distincti, necessitas ponendi medium ad connexionem videndam clare apparet.

Medii necessitate in genere considerata, nunc medii necessitatem ad cognoscendam Dei existentiam videamus.

2. De necessitate medii in particulari

Ab antiquitate problema Dei existentiae menti ponitur. Jam enim graeci philosophi in aliquem cognitionem Dei existentiae intraverunt, sed tamen magna cum difficultate et multis cum erroribus. Platonem et Aristotolem inter omnes non immerito fama atque gloria praelatos fuisse videmus. Nam ille quidem melius ingeniosior quam caeteri cuncta corpora transcendit quaerens Deum. Erravit tamen ponendo ideas innatas et aeternas. Hic autem melius peritior secundum processum naturalem mentis humanae ad Deum ut ad Causam omnium causarum, ad primum Motorem ascendit. Nihilominus numquam hujus entis providentia affirmavit.

Denique aetate philosophiae christianae, fide adjuvante, mens humana majori cum firmitate jus suum naturale cognoscendi Deum exsequitur. Theologici catholici enim communiter admittunt naturalem cognitionem Dei existentiae et ex unanimi consensu damnant oppositas errores circa nostram cognitionem naturalem. Attamen ex antiquis erroribus multae renovantur hodie et adhuc vigent, ut videbimus tum in prima, tum in secunda parte theses. Hic exponimus tantum opiniones quae circa necessitatem medii ad demonstrandam Dei existentiam occurrunt.

1. Opiniones: Opiniones circa necessitatem medii ad demonstrandam Dei existentiam ad triplicem sententiam reduci possunt.

Quatenus docent evidentiam intrinsecam Dei existentiae esse:

vel simplicis apprehensionis intuitivae:

scilicet in quantum esset evidentia
visionis directae Dei, sine ullo medio
probativo.

vel judicii; in quantum propositio "Deus
existit" esset per se nota quoad nos,
per solam analysim terminorum, seu
mediante medio improprie dicto.

vel demonstrationis i.e. per medium proprie
dictum.

Prima Sententia attribuitur ad realismum
exaggeratum Platoni et Spinoza, et ontologistarum qui intui-
tionem realitatum pure intelligibilium habere contendunt
et diverso sub gradu confundunt ens universale in rebus
sensilibus cum Ente divino. Ita Malbranchius, Gerdil,
Gioberti, Casimirus Ubaghs, Branchereau, Hugonin, Julius
Fabre, Joannes Sans Fiel, Carolus Vercellone, Cajetanus
Milone, etc... ad quos addimus fantores ideae innatae ut
Thomassimus, Klee, Standenmaier, Kulm, Descartes. Pro
eis enim nullum medium probativum requiritur.

Secunda Sententia est tenentium argumenti
ontologici virtute cujus Dei existentiam probaretur ex
aliquo conceptu Dei abstracto. Unde admittunt necessitatem
alicujus medii in ordine ideali et tantum distincti secundum dis-
tinctionem rationis ratiocinantis. Eorum argumenta hic referimus.
Sanctus Anselmus (Proslogion ch. 2 et 3, Rev. Thom. 1895).

"Tout d'abord nous croyons, Seigneur, que vous êtes

tel que rien de plus grand ne se peut concevoir.
Pareille nature n'existera-t-elle point parce que
l'insensé aura dit dans son coeur: "Dieu n'est pas."

Mais cet insensé même quand il entend ce que je
dis, à savoir, un être tel que rien de plus grand ne
se peut imaginer, il comprend mes paroles, et ce qu'il
comprend est dans son intelligence, bien qu'il ne com-
prenne pas qu'il existe.

C'est tout autre en effet d'avoir une chose dans
l'esprit et de comprendre qu'elle existe. Quand un
peintre prémédite le tableau qu'il doit faire, assuré-
ment il l'a dans l'esprit, mais il ne pense pas qu'il
existe, ne l'ayant pas encore exécuté. Mais après son
exécution ce tableau qu'il a peint, il l'a toujours
dans l'esprit, mais dès lors il comprend qu'il existe.

L'insensé lui-même est donc convaincu qu'il est,
tout au moins dans son intelligence, un être tel que
rien de plus grand ne se peut concevoir. Car ce qu'il
entend, il le comprend, et tout ce que l'on comprend
est dans l'intelligence.

Or un être tel qu'on en saurait concevoir un plus
grand ne peut être dans l'intelligence seulement. Car
s'il est seulement dans mon esprit, je puis imaginer
qu'il existe aussi en réalité, ce qui est plus grand.
Si ce qui est tel qu'on ne peut se représenter rien de
plus grand est seulement dans l'esprit, cet être même
qui est tel qu'on n'en peut concevoir un plus grand

est donc aussi tel qu'on en peut concevoir un plus grand. Ce qui certainement est impossible.

Il existe donc sans doute aucun, et dans l'intelligence et en réalité, un être tel qu'on n'en saurait concevoir un plus grand.

Et il est vrai qu'il existe qu'on ne peut même concevoir qu'il n'existe pas. Car on peut imaginer un être tel qu'on ne puisse concevoir qu'il n'existe pas, et il sera plus grand que si l'on pouvait se le représenter comme n'existant pas. Par conséquent, si ce qui est tel que rien de plus grand ne se peut imaginer peut être conçu comme n'existant pas, cet être même le plus grand qui se puisse imaginer n'est pas le plus grand qui se puisse imaginer. Ce qui ne se peut accorder.

Cet être, le plus grand qui se puisse concevoir existe donc en réalité, tellement qu'il n'est même pas possible de concevoir qu'il n'existe pas."

Cartesius: (In Meditationibus de prima philosophia).

"Quidquid in idea clara atque distincta alicujus rei continetur, id de ea verum est, seu de ipsa re vere affirmari potest. Sed in idea clara et distincta Dei continetur Dei realis existentia: idea enim Dei est idea entis summe perfecti, hoc est comprehendentis omnem perfectionem, et ideo ipsam realem existentiam. Ergo Deus realiter existit."

Leibnitzius: (Nouveaux essais etc... lib. 4 c. 9)

"Ens ex cujus essentia sequitur existentia, si est possibile, id est, si habet essentiam, existit. (Est axioma identicum, demonstratione non indigens.) Atqui Deus est ens, ex cujus essentia sequitur existentia. (Est definitio.) Ergo Deus, si est possibilis, existit, (Per ipsius conceptus necessitatem.)"

Tertia Sententia est tenentium "Deum esse" esse notum quoad se et non quoad nos.

Sanctus Thomas de quo Innocentius VI dixit: "Hujus Doctoris doctrina, prae caeteris excepta canonica habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem scientiarum." (1. q. 2. art. 1)

"Cum Deus sit suum esse, et quoniam sit nos lateat, haec propositio, Deus est, per se nota secundum se est, licet non quoad nos."

Decretum Sacrae Studiorum Congregationis. (XXIV Theses. Mattiussi).

"Deum esse neque immediate intuitionem percipimus, neque a priori demonstramus."

Afirmatio theses nostrae:

Cum Deus sit suum esse, propositio "Deus existit" quoad se indiget medio demonstrativo scilicet in ordine reali quoad nos autem aliquod medium non in ordine ideali seu metaphysico sed in ordine reali seu physico requiritur.

2. Demonstratio Theseos: Prima Pars.

1) Positive:

Major: Medium probativum in aliqua propositione requiritur quando propositio, etsi sit quoad se nota, tamen quoad nos non immediate percipitur.

Minor: Atqui propositio "Deus existit", cum Deum sit suum esse, quoad se indiget medio demonstrativo, quoad nos autem aliquod medium non in ordine ideali sed in ordine reali requiritur.

Conclusio: Ergo ad propositionem "Deus existit", medium probativum requiritur in ordine reali tantum.

Majoris veritas patet ex omnibus supra dictis circa propositiones per se notas quoad se et quoad nos. Nam aliquod medium non requiritur quando praedicatum unitur vel connectitur subjecto scilicet ipso immediate in ordine reali, et intellectus immediate hanc connexionem percipit sine ullo alio conceptu.

Minoris Prima Pars: "Deus existit" quoad se indiget medio demonstrativo.

Deus enim est ens a se quae existit vi essentiae suae (ut patet ex definitione nominali) cujus proinde existentia quocumque modo necessario cum ejus essentia connectitur

et identificatur. Ergo nullo modo causari potest ab alio. Ergo in Deo ut ens a se nullum datur medium. Jamvero dici nequit a se effective, quatenus ipse sibi existentiam tribuerit. Sic enim debuisset esse antequam esset, seu esse actu antequam actuatur, quod certe contradictionem includit. Ergo necesse est ut sit a se tantum formaliter, idest per ipsam suam essentiam quae proinde cum existentia penitus confundatur. Evidentissime sequitur nullum medium esse possibile in ordine physico. In ordine autem ideali seu metaphysico non etiam habetur. Nam propositio "Deus existit" non habet prius metaphysice. Quia ens a se inter perfectiones divinas est prima perfectio et radix caeterarum, et ipsamet essentia metaphysica Dei. Prima enim notio, quae se nobis offert, est haec quod Deus sit a se. Ea autem notione concepta, statim intelligitur Deum discriminari a ceteris entibus; quae cujuscumque naturae sint, hanc notam si implicant, quod sunt ab alio. Denique nulla est perfectio Dei conveniens, quae ex illa notione vel immediato vel saltem mediate non fluat; nullusque est defectus, qui pariter vi ejusdem a Deo non excludatur. Ergo Ens a se non habet prius neque physice, neque metaphysice.

Minoris Secunda Pars: "Deus existit"
quoad nos aliquod medium in ordine reali tantum requiritur.

Hoc demonstrare intendimus a priori et a posteriori.

1. A priori: Constat enim ut Dei existentia sine medio cognoscatur, oportet hujus propositionis veritatem immediate intellectui clarescere seu relucere. Atqui propositio "Deus

existit" certissime non est factum experientiae vel veritas immediate evidens sicut prima principia. Historiae enim cognitio quae nobis omnia revelat dubia, quae circa hanc questionem surrexerunt, hoc demonstrare sufficeret. Sed tamen hujus rei ratio habetur. Nam ut evidenter et immediate Dei existentiam cognoscamus oporteret verificare in realitate num existentia Deo essentialis sit, seu videre num praedicatum in hac propositione "Deus existit" realiter clauditur in subjecto et consequenter cognoscere seu in tuere ipsam essentiam Dei vel per praesentiam suae essentiae in facultate nostro, vel per similitudinem immediate ab ipso Deo cognito acceptam, vel a re aliqua in qua resultat vel causa fuit. Quia enim omnes conceptus vel omnes veritates omnibus per se notae sunt universales et proinde abstrahunt ab existentia in realitate. Et proinde intellectui obtruduntur in quantum abstrahuntur ex experientia et in rerum natura verificari possunt... Ita igitur ex eo quod concipimus Deum tanquam aliquod ens essentialiter existens non sequitur Deum esse in ordine reali sed tantum in ordine ideali seu in intellectu. Ut dicit S. Thomas: "Ex eo quod mente concipitur quod profertur hoc nomine Deus, non sequitur Deum esse, nisi in intellectu." Cont. G. Lib. I c.2. Et proinde questio idem est: existitne Deus in realitate? Adhuc autem remanet transire distantiam ordinis idealis ad ordinem realem.

Atqui: (1) per praesentiam Dei essentiae nullo modo Dei existentiam cognoscere possumus quia cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente

Cognitum autem est in cognoscente

secundum modum cognoscentis. Debet enim existere eadem proportio inter subjectum cognoscens et objectum. Videmus in psychologia quod cognitio in eo consistit quod cognoscens fiat ipsum objectum cognitum, eique jungatur immateriali modo et proinde patet cognitum et cognoscens omnino proportionantur in gradu immaterialitatis, seu eundem essendi modum habent. Cum autem limitati sumus, ut diximus antea, non tantum in ordine existentiae sed etiam in ordine essentiae, essentia nostra seu si vultis noster modus essendi duo elementa (materia et forma) complectitur. In his enim elementis invenitur explicatio duplicis gradus cognoscitivae virtutis naturae nostrae. Ex elemento quod restringit et limitat formam omnes facultates nostrae cognoscitivae, sive ordinis sensibilis, sive ordinis intelligibilis, quamvis diverso modo dependent. Ex elemento autem quod actuatur materiam signatam quantitate, facultates spirituales (intellectus et voluntas) tantum dependent. Et ideo constat potentia cognoscitiva sensibilis quae intrinsece dependet ab organo corporali quoad esse et agere, pro objecto non potest habere nisi singulare concretum notis individuantes seu corpus concretum quod materiales et externas qualitates. Unde sub eorum intuitionem ne quidem substantia cadit, sed tantum accidentia concreta seu conjuncta prout existunt in rerum natura: v.g. oculus videt, vel imaginatio repraesentat aliquem hominem; id quod videtur vel repraesentatur est hic homo extensus, figuratus, coloratus, etc., cum

omnibus suis notis individuantibus. Potentia autem cognoscitiva intellectualis perfectior est. Nam intellectus, quamvis sit dependens objective a materia, cum inest in anima et independens est in esse et agere ab organo suum objectum est perfectius. Ejus objectum enim, secundum ejus modum essendi, esse debet immateriale, ens, universale, quidditatis rerum quas tamen abstrahere debet a materia ut exprimat etymologia nominis "abstrahere" scilicet "trahere a materia". Et igitur objectum formale intellectus est corporeum (substantia et accidens) at non prout corporeum est, sed prout abstractum seu spiritualizatum. Ita suum objectum formale ad omnia extenditur et quidem ad omnia cognoscenda quidditative cognitione quidditativa stricto dicta. Et proinde habet ut objectum formale ens in tota sua amplitudine. Attamen ratione elementi materialis seu ratione unionis animae cum corpore, hoc objectum restringitur ad quidditatem rei corporeae per phantasiam representatae. Et ideo intellectus noster directe non apprehendit nisi universale scilicet quidditatem quae relucet in rebus corporeis. Immo non attingit immediate et perfecte hanc quidditatem, rationem specificam, ejusque differentias ultimas (ut accidit pro puris spiritibus qui unico conceptu omnia, quae naturaliter cadunt in suo objecto formali, cognoscunt.) sed ratione debilitatis suae intellectus humanus gradatim et pedetentim suum objectum attingit. Et ideo conceptus primitivi vel veritates primariae sunt ea quae immediate abstrahuntur ex

qualitatibus sensilibus phantasmatis ope. Intellectus enim successive percipit accidentia (in quantum sunt aliquid entis), conceptum non entis, principium contradictionis, conceptum unitatis, multitudinis, diversas qualitates entium, conceptum veri et boni, modos essendi per se (substantia) modos essendi per accidens (accidentia), conceptum tandem necessitatis et contingentiae. Postea mediante inductionis distinguit accidentia necessario convenientia. Deinde incipit mediante ratiocinio cognitionem magis determinatam substantiae vel quidditatis. Indirecte autem intellectus attingit quidem res spirituales (sicut singularia) sed cum non sint ei proportionatae ad eas cognoscendas eas trahere debemus ad aliquem modum essendi magis imperfecti; scilicet ad modum essendi objecti formali primarii quod est quidditas rei materialis. Et ideo dicuntur cognosci analogice tantum (cognitio positiva negativa). Ergo a fortiori Deus, ens omnino immateriale et infinitum et ut tale intra ambitum objecti formali primarii intellectus nostri esse non valet. Praesentiam enim essentiae divinae in facultate excederet naturam et capacitatem hujus potentiae cognoscitivae.

(2) Per similitudinem autem immediate ab ipso Deo cognito acceptam nullo modo etiam haberi potest cognitionem immediatam Dei existentiae. Quia enim hoc excedit naturam et capacitatem intellectus humani pro eisdem rationibus supra allatis. Proprium enim est intel-

lectus humanus cognoscere formam in materia corporali individualiter existentem, non tamen prout in tali materia. "Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi inquantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit; ut intelligibile ab ipso." P. 1. q. 12 a. 4. Deus enim esset notus per se absolute intellectui divino et intellectui creato beato, mediante lumine gloriae, quia Deus constituit objectum formale proprium horum intellectum.

(3) Per similitudinem tandem non immediate ab ipso Deo cognito acceptam sed a re aliqua in qua causata fuit. Hic modus non est extra ambitum intellectus nostri. Attamen propter debilitatem intellectus nostri seu propter imperfectionem modi nostri cognoscendi intellectus, etiam hanc resultantiam seu dependentiam observatam in creaturis et per quem ascendimus ad primam causam ut probabitur in 2^a Parte Theos, non immediate percipimus sed tantum post distinctionem inter ens necessarium et ens contingens. Videns enim quod ens contingens non habet rationem sufficientem existentiae suae et proinde ex hoc deducimus quod se habet ut causatum ad primam causam ad quem ascendimus propter impossibilitatem processus in infinitum. Ergo "a priori" nulla Dei existentiae intuitio sive ex parte

Dei sive etiam ex parte creaturae possibilis est, et proinde necessitas ponendi medium ad eam affirmandam clare apparet.

Minor a posteriori probatur:

Quod impossibile est nos intueri Deum valde apparet etiam a posteriori ex eo quod cognitio intellectualis a sensili incipit. "Nihil enim in intellectu quam prius in sensu". Si hoc aliter esset, factum internum cognitionis intellectualis omnino explicare non potest. Si intellectus noster esset objective independens relative ad aliqua intelligibilia, sicut subjective independens est, quomodo vestigium seu momentum phantasiae in conceptibus nostris explicare possimus, cum enim ideae nostrae etiam circa supra sensiles concipiuntur modo rerum corporearum. Omnes res enim etiam suprasensiles concipiuntur et significantur vocibus primarie res sensiles significantibus. v.g. Deus a radice div., quae significat lucere; anima a radice sanscritica as, asu, spiratio.

2) Negative: Thesis nostra quoad primam partem stabilita, nunc restat ut ex oppositis erroribus eam exsolvatur. Et ita, speramus, veritas amplius relucebit.

1. Ontologistae: Quod opinionem ontologistorum duplici modo eos refutabimus, nempe indicando, primo breviter impossibilitatem hujus systematis, secundo falsitatem eorum rationum.

1) Impossibilitas hujus systematis. Secundum eos Deus nobis est in hac vita objectum cognitionis intuitivae; atqui hoc patet non esse tum ex experientia, tum ex ratione. Ex experientia enim nemo conscius

est hujus Dei intuitionis. Fieri autem nequit ut aliquis non conscius esset talis actus intellectus nostri (siquidem Deum intuemur vel idea innata Dei nobis esset) qui est fundamentum et principium totius reliquiae cognitionis. Ergo haec intuitio non est possibilis. Ex ratione autem etiam constat (ut diximus in demonstratione theses) haec impossibilitas. Nam ad Dei intuitionem requiritur nos habere eundem essendi modum ac Deum. Modus enim cognoscendi, sicut et operandi, cujuscumque naturae, sequitur in ipsa modum essendi. Atqui hoc supergreditur vires naturales cujusque intellegentiae creatae Cum enim omnes creaturae evidenter modum essendi inferiorem Creatore habent ac proinde etiam modum cognoscendi. Ergo intuitio Dei nequit naturaliter competere menti humanae quae, in statu unionis cum corpore, habet esse in materia et proinde quidquid non cognoscit nisi quae habent formam in materia.

ii) Rationes eorum falsae sunt:

a) Dicunt enim Deum esse fontem omnis entis, omnis veritatis et bonitatis, ipso facto pro eis etiam esse debet primum objectum intellectus et voluntatis. Atqui quod Deus sit fons omnis veritatis non est veritas evidens pro nobis. Immo etiamsi Deus realiter est fons omnis veritatis, debemus distinguere. Veritas enim quae dicitur de rebus duplex est: una est

causata et mensurata ab intellectu a quo res dependet et a quo realiter distinguitur. Et est veritas omnis rei creatae vel artificialis in quantum mensuratur ab intellectu divino, vel ab intellectu artificis creati ejus causa exemplari et efficiente. Et haec veritas essentialis rebus, quia hanc participant in quantum ens participant. Altera est veritas causans et mensurans intellectum qui a re dependet. Et igitur est veritas rei in quantum apta est ad causandam sui notitiam in intellectu qui ab ipsa dependet. Haec veritas non essentialis est rebus, quia ab hoc intellectu non dependet. Et sic aliquid dici potest verum vel falsum (v.g. aurum) in quantum aptum est vel ad causandam sui notitiam in intellectu, vel ad decipiendum et tamen esse verum ad intellectum a quo dependet et ens participat. Et igitur si veritas, quae dicitur de rebus in quantum causans et mensurans intellectum a re dependentem, non essentialis rebus, non oportet, ut veritatem attingamus, cognoscere eorum adaequationum cum intellectu ex quo ens participant, seu in eorum causa et in ordine eorum emanationis sed tantum sufficit cognoscere res prout sunt in se, in eorum proprium realitate. Atqui ita est cognitio intellectualis nostra circa entia quorum causa non sumus et a quibus intellectus mensuratur. Ergo haec ratio allata, nempe Deus est fons omnis veritatis non valet.

Ex alia parte si Deus esset primum objectum intellectus nostri ut volunt adversarii, esset etiam primum cognitum. Atqui est omnino evidens quod inter objecta quae primo cognoscimus non est ens increatum sed potius creatum. Propterea dicit S. Thomas "quamvis veritas increata excedat omnem veritatem creatam nihil tamen prohibet veritatem creatam esse nobis magis notam quam increatam: ea enim quae sunt minus nota in se, nota sunt magis quoad nos secundum Philosophum". A rebus enim sensibilibus incipit cognitio nostra et hinc ascendimus ad intelligibilia et denique attingimus divina. Et ideo pro nobis primum cognitum non est primum in ordine ontologico.

b) Deus esse lumen qui reddit omnes res intelligibiles, sicut sol quodcumque objectum visibile reddit. Atqui ducunt lumen videtur ante objectum illuminatum, et sic Deus cognoscitur ante objectum quem intelligibile reddit. Ergo Deus debet esse primum cognitum. Sed contra hoc dicimus: Deus certe lumen est qui omnia reddit intelligibilia. Atqui hoc accidere non potest nisi recipiendo "ens", cum enim aliquid intelligibile est in quantum "ens" habet. Ergo Deus res intelligibiles reddit eas creando et non per suum proprium lumen, ut Malbranche vult. Sufficit igitur aliquid habere ens ut intelligibile fit. Aliis verbis sufficit ut aliquod ens a Deo veniat ut intel-

ligibilitatem suam ei referat. Et ita cognoscimus entia et ad eorum causam ascendimus sed ad ea cognoscenda non requiritur ut hanc causam videamus. Concedimus ut tale ens in particulari cognoscamus ad ens universale ascendere debemus. Sed haec idea universalis stat per naturam nostram intellectualem et non per objecta actualiter percepta. Et proinde si ratione objecti formali intellectus in quantum intellectus, scilicet ens in quantum ens, ad omnia se extendere potest, non possumus dicere intellectum humanum de facto omnia etiam Deum directe cognoscere. Ergo evidentissime apparet cognitionem Dei ejus que existentiae nullo modo esse fructum intuitionis intellectus humani.

2. Tenentes argumenti ontologici confutantur.

De hoc argumento merito dixit Farges "Il a eu cette étrange fortune que tous ses défenseurs ont senti le besoin de le modifier pour le faire accepter." (L'Idée de Dieu). In hoc enim quaecumque forma proponitur sive sit deducto ex ente "id quo majus cogitari non potest" vel ex "ente perfectissimo" vel etiam ex possibilitate "entis infiniti", fit illegitimus transitus ab ordine ideali ad realem, ut constat ex prima parte thesios. Et hic erat occasio dicendi: "Latius hos quam praemissae conclusio non vult." Supponitur, enim, id quod probari debet. Et ut diximus antea cum Sancto Thoma, ex eo quod aliquid est in intellectu non sequitur

hoc esse etiam in realitate; cum enim cognitio nostra abstrahit ab existentia in rerum natura. Et proinde nullum argumentum apodictice deductum transire valet de existentia mere signata ad existentiam exercitam. Et nunc refutamus in specie diversas formas hujus argumenti.

1) Contra Sanctum Anselmum: In majori argumenti Sancti Anselmi cert^o agitur de ordine ideali, quia enim si existentia realis includitur in idea hujus entis quo majus cogitari non potest, immediate cognosceretur suam existentiam sine ullo medio vel demonstratione. Sicut in propositionibus per se nota quoad se et quoad nos, ex eo quod intellectus cognoscendo subjectum et praedicatum unico conceptu connexionem videre potest. Ita si existentia realis includi esset in hujus conceptu entis "quo majus cogitari non potest" immediate cognosceremus id quod tamen negaretur ab atheo et etiam id quod argumentum probare intendit, scilicet: existentiam Dei. Ergo certissime hic agitur de ordine ideali. Immo si facimus analysim hujus ideae entis "id quo majus cogitari non potest" videmus hanc esse conjunctionem conceptum simplicium quae seorsum sumptum aliquas realitates certe representant sed quorum ipsa conjunctio est tantum ens rationis nisi suam objectivitatem verificetur in realitate. Ergo certissime hic agitur de ordine ideali. Et si nunc scimus quod in omni demonstratione ex cognito ad cognitum virtute connexionis necessariae procedimus, statim possumus poscere quomodo talis propositio, scilicet: "Ens id quo majus cogitari non potest" aliquem demonstrationem fundari valeat. Ad minorem tamen.

In minori e contra affirmatur "ens quo majus cogitari non potest", realiter existere. Atqui hoc transitus ordinis idealis ad ordinem realem nullo modo justificatur. Aliud est enim cognoscere et aliud imaginari. Hoc Sanctus Anselmus admittit. Nihilominus exceptionem facit pro hoc ente quia ejus existentia in ejus conceptu includitur. "Dès qu'une chose existe, dit-il, je ne puis connaître qu'elle n'existe pas, à l'exception de cet être souverain." Sed cur haec exceptio? hoc justificare non possumus. Si enim verum est dicere quod hoc ens (quo majus cogitari non potest) tantum in intellectu esse nequit in hoc sensu quod non concipitur ut habens existentiam a se seu vi essentiae: concedo. Sed etiamsi, ut hujus entis ideam completam habeamus, in ejus conceptu existentiam includere deberemus, attamen adhuc sumus in ordine ideali et proinde adhuc nescio num realiter existat. Et si realiter existit, ipso facto dicere non possumus hoc ens esse majus eo quem concipimus quia enim nihil amplius habet nisi id quod in intellectu meo ei tribuo. Et proinde Sancti Anselmi argumentum tantum concludere potest quod hoc ens, si quidem existit, a se existere debet. Unde est hypothesis et nunc remanet questio num haec hypothesis sit aliqua realitas. Ad rem Cajetanus dicit; "Haec ratio nihil concludit: quia ab adversario non conceditur majus omni cogitabile esse in rerum natura; licet concedatur quod majus omni cogitabili significatur, et cogitatur esse in rerum natura. Non ergo significatur majus significatum ut existens: sed etsi existeret non

esset majus, sed esset quod non est nisi in apprehensione."

1. q. 2. a 1. Ergo haec demonstratio ad Dei existentiam manuducere non valet. Immo non est vera demonstratio. Laborat enim vitio fallaciae dicti: scilicet transit ab existentia concepta ad existentiam simpliciter. Denique argumentum peccat contra regulam suppositionis; nam modus existentiae per respectum ad quem sumitur suppositio variat. Et proinde totum meritum scientificum hujus argumenti in eo consistit quod contribuit ad eluciendam conditionem Primi Principii in quo identificatur essentia et existentia et unde sequitur Ens in tota sua plenitudine. Immo ut dicit Sertillanges: "Il a invité l'esprit humain à prendre une conscience plus profonde de ses propres conceptions, touchant ce haut problème, et c'est là un service qu'une âme religieuse n'oublie pas."

ii) Contra Cartesii Argumentum: Est idem argumentum Sancti Anselmi sub alia forma. Unde concedendum est in majori quod quidquid in idea clara et distincta objecti alicujus continetur, affirmandum de ipso est. In minori autem distinguendum est quod in idea entis summe perfecti continetur existentia signata et mere apprehensa: concedo; non autem existentia exercita in rerum natura. Quia enim ens perfectissimum ad instar alterius, scilicet: conceptibus analogis i.e. positivo negativis à nobis concipitur, quia intellectus noster huic objecto non est proportionatus, sicut concipi nequit homo sine animalitate vel sine rationalitate; ita essentia Dei nullo modo conciperetur sine

existentia exercita. Unde hic etiam transitus illegitimus ab ordine ideali ad realem.

iii) Contra Leibnizii argumentum: Etiam hoc argumentum a praecedentis non differt. Nam Ens ex cujus essentia sequitur existentia, si est possibile, id est si habet existentiam existit. Est axioma nisi pro illis qui realitatem Entis, ex cujus essentia reali sequitur existentia, admittunt; et proinde apud atheos non valet. Si autem agitur de ente reali, ex cujus essentia reali sequitur existentia pariter realis. Unde sicut dicimus in aliis argumentis nihil probandum est. Et proinde argumentum non est amplius necessarium. Immo principium supponitur. Si autem de ideali, agitur, unde est illegitimus transitus ab ordine ideali ad realem. Et sic distinguimus major ejus: "Possibile est Deum existere" hoc scimus ex cognitione rerum creaturarum: concedo; ex sola notione Dei seu entis perfectissimi: nego. Sed dicunt adversarii: hoc scimus a priori i.e. antecedentes ad cognitionem rerum existentium. Quia ens infinite perfectum non repugnat intrinsece. Atqui quod non repugnat intrinsece, a priori cognosci potest. Ergo ex sola notione entis perfectissimi possumus cognoscere possibilitatem ejus. Sed contra dicimus non apparet repugnare: concedo. Non autem apparet positive non repugnare. Sed, addunt, positive nobis ens infinite perfectum non repugnare. Nam positive apparet perfectionem non excludere perfectionem. Ergo apparet non repugnare in eodem ente posse simul esse omnes perfectiones quod ens esset perfectissimum. Responsum non est difficile.

Hoc enim est verum si agitur de perfectionibus quae nullam imperfectionem continent, non autem de perfectionibus in quibus implicatur imperfectio.

3. Scholion: Quod ad ontologismum Sancti Augustini attinet nobis videtur hanc sententiam gratuito ei attribuitur ab ontologistis. Verum est in "Civitate Dei" laudat Platonicos, quia "lumen mentium esse dixerunt ad discenda omnia". Etiam alia verba in libro de "Trinitate" secundum aliquos videntur favere ontologismo. Sed tamen Sancti Augustini doctrina utcumque ontologismo favere non videtur. Praecipua ratio est quia quoties agit de directe cognitione Dei ex parte intellectus nostri, numquam mentionem facit de intuitionem ontologica, v.g. In "Civitate Dei" ait. "Ex visibilium omnium pulcherrima species deprehendi auctorem Deum ineffabiliter atque invisibiliter magnum et ineffabiliter utque invisibiliter pulchrum." Denique Sanctus Augustinus numquam quidem loquitur de demonstratione a priori existentiae Dei. Immo principium fundamentale ontologismi est, universalia esse in Deo et esse ipsas ideae divinas: consequenter universalia illa haberi a nobis non per abstractionem a rebus individuis sed per immediatam intuitionem divinarum idearum. Atqui illud principium apud Sanctum Doctorem aperte negatur. Distinguit enim duplex genus: Deum et disciplinarium spectamina. Denique tamen cum dicit: "Lumen mentium esse", loquitur non de illuminatione objectiva, sed de illuminatione efficiente, ut constat ipsis verbis Sancti Augustini. Et cum

autem dicit in veritate videri a nobis veritates, hoc sic intelligitur: Intellectus enim iudicat de rebus creatis; sed in ipsis minime reperit rationem veritatis, quae verae sunt; sed neque in seipso principium veritatis rerum creatarum constituere potest; ergo necesse est ut mens ex contemplatione mundi et sui ipsius ascendat in Deum, utque nos in Deo fateamur esse primam veritatem, unde omnia sunt vera, et mentem secundum hanc veritatem de omnibus iudicare et in ipsa prima veritate ut in principio omnium efficiente omnia videre. Et sic igitur non valet assertio ontologistarum.

Hae consideratione facta, sic igitur clauditur prima pars thesios nostrae, et statim ingredimur in secundam partem.

II. DE EXISTENTIA ET NATURA MEDII AD COGNOSCENDAM DEI

EXISTENTIAM

"Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex." (Sap. 13, 1-5)

Huc usque mediī necessitatem vidimus ad probandam et illuminandam hanc veritatem Dei existentiae. Nunc autem quaerimus in hac secunda parte num sit lumen seu medium omnino evidens pro nobis per quem intellectus humanus ad hanc veritatem supremam ascendere possit. Medium enim debet intellectui monstrare et facere ut hic, mediante notiore et evidentiore veritate, alias veritates in principio plus minusve remoto contentas clare videat. Et igitur in demonstrabilitatis Dei existentiae doctrina ventum est ad caput quoddam praecipuum, videlicet: existitne medium notum et evidens quoad nos ad demonstrandam Dei existentiam? Si utique, unde quaenam sit natura hujus mediī?

1. De existentia et natura mediī in genere.

a) De existentia mediī. Existentia mediī in cognitione nostra certe apparet. Haec veritas tanta evidentia praedita est quod indiget demonstratione. Multae enim veritates non cognoscuntur nisi per ratiocinium scilicet per aliam veritatem notioram quoad nos. Attamen existentia mediī diverso modo se habetur quatenus viget

vel a parte rei vel in intellectu tantum. Ratiocinari enim est transire de cognitione alicujus veritatis ad aliam vel secundum rem vel secundum rationem. Nam possumus cognoscere aliquam veritatem per aliam quae ab ea differt vel realiter vel virtualiter. Si primo modo, connexionem tantum contingentem et identitatem secundum quid affert cum acquisita veritate; si autem secundo modo, connexionem necessariam, connexionem identitatis, V.g. omnis accidens supponit inhaerentiam actuale in subjecto, sed hoc non est verum in Eucharistia. Haec veritas enim est ordinis accidentalis, physici. E contra, omne ens spirituale est immortale, vel omne quod est immutabile est aeternum, sunt veritates necessarias quae praebent connexiones necessarias, connexiones identitatis, uno verbo connexiones metaphysicas. Intellectus noster enim in suam ascensionem ad veritatem non remanet in cognitione rerum prout a parte rei existunt, et proinde relinquendo ordinem physicum qui ei non praebet nisi connexionem unitatis pure accidentalis, profundius in rebus penetrat, et super connexiones necessarias et aeternas essentialium aedificat scientiam supremam quae scientiam physicam in perfectione et proinde in certitudine transcendit. Unde venit major haec perfectio, major haec certitudo? Ex ipsamet natura medi. Et ideo alia questio enucleanda est, scilicet: quid sit natura medi scientiae physicae et metaphysicae.

b) De natura medi demonstrationis metaphysicae et physicae:

(1) In quo conveniunt: Quoad externam

apparentiam media demonstrationis sive physicae sive metaphysicae nullo modo differunt. In omni enim demonstratione, medium semper esse debet causam conclusionis seu veritatis cognoscendae et quam demonstrare volumus. Medium autem esse potest causam conclusionis sive in essendo sive in cognoscendo ita ut medium quamvis non sit causa vel radix objecti conclusionis, sit tamen efficax motivum et ratio cur intellectus noster assentit conclusionis objecto. Cum autem res nobis cognoscibiles sunt sub forma conclusionis in qua continetur omnia quae per se rei cognoscendae conveniunt, et principia autem causas continent cur talia praedicata tali modo isti rei conveniunt; ergo constat idem esse cognoscere aliquam rem per causas ejus et cognoscere conclusionem per causas. Et ideo scientia, quaecumque sit, est cognitio certa et evidens per causas. Quatuor autem sunt causae quibus res nobis manifestantur: causa materialis, formalis, efficiens et finalis. Et sic omnium demonstrationum processus est a causa sive remota sive proxima ad effectum, scilicet per causam sive remotam sive proximam ad effectum demonstratur effectus. Aliquando tamen processus est inversus, nempe ex effectu ad causam, ut accidit quando effectus nobis manifestior est. Nam ex quolibet effectu potest propriam causam ejus esse quia, ut dicit Sanctus Thomas, cum effectus necessario a causa dependeat, posito effectu, necesse est causam praexistere. In primo casu processus dicitur a priori, in secundo autem processus est a posteriori, scilicet per effectum. Unde tum in demonstratione physica, tum in demons-

tratione metaphysica processus est vel ex causa ad effectum vel ex effectu ad causam; et proinde medium quoad externam apparentiam nullo modo differt.

(ii) In quo discrepant: E natura enim medii, hoc scimus, demonstrationis valor dependet. Et ideo differentia demonstrationis tum physicae tum metaphysicae in diverso medio probativo consistere debet. Ex diverso autem medio oritur diversus processus. Diversus processus diversas conclusiones peperit quibus intellectus diversa cum certitudine assentit. Unde ad bene intelligendam naturam utriusque medii lucendum est in quo discrepant haec omnia.

Quoad processum extrinsecum, ut vidimus, demonstrationes physicae vel metaphysicae non differunt; attamen processus essentialiter est distinctus. Nam medium sive sit causa vel effectus considerari potest duplici sub distincto aspectu, cum enim in omni ente duo elementa distingui debent. Primo essentia quae omnes proprietates metaphysicas, relationes vel connexiones essentielles et transcendentales complectitur seu causa realiter eadem cum effectu et quocum virtualiter tantum distinguitur. Secundo essentia quae continet omnes proprietates physicas et relationes accidentales ab effectu realiter distinctae. Exinde oritur duplex processus cujus enim unus ad metaphysicam pertinet, alterum ad physicam. Si enim medium est ipsamet essentia vel causae vel effectus vel etiam proprietatis metaphysicae seu relationes essentielles causae et effectus, processus est essentialis, formalis, intrinsecus,

necessarius. Si autem medium sumitur inter proprietates
physicas vel relationes accidentales causae et effectus
processus est accidentalis, extrinsecus, pure connexionis,
contingens. "On peut distinguer, dit en effet Goudin, deux
sortes de propriétés: la propriété physique et réelle,
et la propriété logique et attributale. La propriété phy-
sique et réelle est un accident réel qui suit l'essence,
comme la chaleur suit le feu, le sens suit l'animal, la
raison suit l'homme. La propriété logique ou attri-
butale est une notion que la raison seule distingue de
l'essence, et qui la suit seulement dans le mode de notre
conception: c'est ainsi que l'infinité est appelée une
propriété de l'essence divine; la mortalité, une propriété
du vivant corporel; n'avoir point de contraires une pro-
priété de la substance. On les appelle ainsi non qu'elles
soient en quelque façon distinctes de la chose dont on les
dit propriétés, mais parce que ce sont des notions secondes,
que notre intelligence distingue de l'essence et lui attri-
bue comme des appendices." Goudin Log. la Pars Thesis 1 q.2
art. 7. Hoc elucidandum erit per sequenta argumenta, v.g.
Effectus physicus ignis est comburere et proinde causa phy-
sica ustionis est ignis. Atqui est ignis. Ergo est ustio.
Argumentum vere est per causam sed tamen processus non est
metaphysicus. Fundatur tantum super proprietates extrin-
secas, accidentales et contingentes ignis. Est verum tan-
tum in ordine physico. Ratio clare apparet. Medium non
est essentialis. Actio comburendi non est de ratione vel

de intellectu ignis. E contra si dicimus causa utionis est ignis. Atqui est ignis. Ergo est aptitudo ad comburendum. Argumentatio est absoluta, essentialis, necessaria et metaphysica. Quia enim aptitudo ad comburendum est de essentia ignis seu relatio ad causam essentialis est. "Aptitudo ad subjectum semper manet in eis, non actualis inhaerentia". P. 3. q. 77 a. 1-2. "Unde in igne formacis remanebat ordo ad comburendum licet non combureret tres pueros in camino." De Pot. q. 60 -1 ad 2.

Similiter pro demonstratione ex effectu. Quicumque enim sit effectus, si ex existentia alicujus effectus infero causam physicam secundam esse, argumentatio est physica et non metaphysica, connexa et non inclusiva, contingens et non necessaria. V.G. si dico: Petrus sanum fit ex morbo. Atqui sanatio habet causas physicas. Ergo Petrus sanum fit ex morbo per aliquas causas physicas. Argumentum est verum in ordine physico sub conditione ne fiat miraculum. Et de facto multi homines sanantur per miraculum sine ulla causa physica. V.G. In locis peregrinationis. Ratio non est difficilis intellectu. Actio enim vel effectus, sicut proprietates physico-actuales causae secundae, est tantum accidentalis et non essentialis, et ideo Deus effectum producere potest sine concursu hujus causae secundariae. Et plane quia causa secunda non est necessaria, sed contingens et fallibilis. Deus enim in aliquo casu impedire potest actionem ejus, producendo tamen eundem effectum.

Ergo omnes demonstrationes physicae non sunt absolute certae. Eorum enim processus non est per "viam formalem", per essentiam seu, ut dicit Aristotelis, per "quod quid" causae vel effectus. Et proinde ad scientiam physicam minime pertinet definitio scientiae. "Cognoscere causam propter quam res est quod hujus causa est, et non posse hoc aliter esse." Nam scientia physica non assignat rationem "propter quid" rei affirmatae, sed tantum enuntiat factum esse et propterea vocatur scientia "quia". Non procedit etiam de uno in aliud secundum rationem sicut metaphysica, sed de una re in aliam. Nam media ejus non realiter includuntur in objectivitate vel essentia majoris. Non est enim de essentia lapidis casurus esse, et sic per miraculum suffulci potest. In essentia hominis non includitur personalitas humana. Uno verbo, processus est accidentalis, conclusiones heterogeneae et certitudo conditionata.

Denique processus inductionis seu ex effectu, si vultis, in scientia physica, dat causam phaenomenis sed non assignat rationem propter quam talis causa ad talem effectum requiritur. V.G. secundum scientiam physicam dilatatio ferri causatur per calorem, sed ex hoc non scimus rationem specificam caloris et ferri. Extra enim observationem sensilem physicae dominium scientiae unice hypotheseos complectitur. Unde eorum affirmationes tantum fundantur super testimonium experientiae sensilis, super connexionem contingentem, et proinde non habent nisi

certitudinem physicam, sicut affirmationes quae tantum fundantur super testimonium humanum non habent nisi certitudinem moralem.

Jamvero demonstratio metaphysica non ita est. Ejus enim processus est formalis, intrinsecus, essentialis. In demonstratione enim metaphysica, sicut in mathematica medium essentialis est principio abeoque distinguitur virtualiter tantum. Includitur enim implicite in ipsa essentia. Et proinde est processus quae scientiam perfectam peperit, scilicet scientia quae est cognitio certa et evidens per causas ultimas. Demonstratio enim metaphysica entis rationem necessariam vel relationem "propter quid" rei affirmatae assignat. Ad hanc igitur magis pertinet definitio Aristotelis: "Demonstratio est syllogismus efficiens scire" vel "cognoscere causam propter quam res est, quod hujus causa est et non potest aliter se habere". Post Analyt. 1. 1. Com. St. Tho. Nam omnes conclusiones quae oriuntur ex medio metaphysico seu essentiali sunt homogeneae, necessariae, absolute certae. Hujus ratio est quia conclusio semper est de intellectu majoris et includitur in objectivitate principii. Metaphysica enim in omnibus suis conclusionibus, dummodo sint rectae deductae, progressus est analyticus; aliis verbis sunt conceptus clariores et expressiores ejusdem realitatis significatae per ens in quantum ens qui primo apprehenditur per intellectum. In hac sola apprehensione entis omnes veritates continentur.

Si intellectus, enim, ut jam diximus, videre possit omnes veritates, omnes conclusiones quae actu, quamvis confuso modo, in hac prima notione entis continentur, nullo modo indigeret mediis vel ratiocinis ad veritatem attingendam. Sicut angeli per intuitionem omnes conclusiones, omnes veritates in ente actu contentas cognosceremus; sed e contra successive tantum acquiruntur per ratiocinium. Medium metaphysicum numquam conclusionem aliam ac principium peperit sed tantum explicat per conceptus successivos, analyticos, clariore, virtualiter inter se distinctos, diversos aspectus, omnem multiplicitem virtuale principii. Et igitur omnes conclusiones metaphysicae si rectae sunt deductae e principio, nempe ex essentia, sunt absolute necessariae, inconditionatae, infallibiles. Habent enim certitudinem absolutam; i.e. certitudinem quae aliter esse non potest absolute, cujus negatio rueret ipsum principium contradictionis et identitatis. v.g. Propositiones: animal rationale est risibile, ens spirituale est immortale, ens immutabile est aeternum, sunt absolute certae. Numquam enim invenitur homo aliter esse ac animal rationale; est enim ipsamet ejus essentia, ejusque ipsa notio. Deus ipse facere non possit hominem non esse animal rationale. Nam essentiae fundantur in ipsamet Dei natura, prout imitabilis est ad extra. "Necessarium absolute, dicit enim Sanctus Thomas, judicatur aliquid ex habitudine terminorum utpote quia praedicatum est in definitione subjecti sicut necessarium est hominem esse animal; vel quia subjectum est de ratione subjecti sicut est necessarium numerum esse

parem vel imparem." l.q. 19a. 3. Ergo medium metaphysicum generat demonstrationem perfectam, quae habet certitudinem principii identitatis, contradictionis, entis rationis, causalitatis, et ipsius entis notionis, quae nullomodo negari possunt quin contradictionem realisatam admittamus. Denique in omni demonstratione metaphysica, quibuscumque processibus extrinsecis sit ornata, medium esse debet rationem "propter quid" conclusionis vel veritatis affirmatae. Si enim affirmamus aliquid habere talem causam, in hac demonstratione perfectissima, etiam assignare debemus rationem "propter quam" requiritur talis causa et non aliam. Et ita in omnibus demonstrationibus metaphysicis sive ex causa sive ex effectum medium referri debet vel ad "propriam causam" vel "ad proprium effectum". "Ex quolibet effectum, dicit Sanctus Thomas, demonstrari potest propriam causam ejus esse." Unde in hoc sensu causa propria (vel effectus proprius) est ea quae per se primo talem effectum producere valet. Scientia physica utique causam assignat sed remotam et non propriam. Et ideo in demonstratione metaphysica causa propria vel effectus proprius qui requiritur per aliquem medium esse debet. primo causam quae "necessario" seu "per se" requiritur sicut deducitur aliqua proprietas ex essentia ex qua dimanat. Causa propria enim numquam est causa accidentalis sed necessaria; Secundo causam quae "primo" seu "immediate" requiritur. Ipso facto causa necessario requisita sed non "immediate" seu "per se non primo" excludatur. Ad faciendam enim statuum requiritur aliquis statuarius. Sed si aliquem artificem requiri dicimus,

quamvis sit verum, hoc esset nimis generale (Com. St. Th. Lec. II-1 Post Analyt.)

His positis concludere possumus medium sive effectum sive causam, accidentale, contingens, realiter distinctum a principio, pure connexionis scientiae vel demonstrationis physicae proprium esse; dum autem medium effectum vel causam, essenziale, necessarium, formale, conceptuale seu virtuale scientiae vel demonstrationis metaphysicae proprium esse.

C) Diversi medii in demonstratione metaphysica:

Nunc constat medium conceptuale pertinere ad processum metaphysicum seu ad demonstrationem metaphysicam. Attamen diverso modo se habetur quatenus hoc medium eat conceptualiter seu virtualiter distinctum a principio vel secundum distinctionem virtualem majorem vel secundum distinctionem virtualem minorem. Quia ut patet progressio vel ascensio ad aliam veritatem in utroque casu non est eadem et aequalis. Scimus enim distinctio^{ne} rationis esse vel ratiocinatae vel ratiocinantis. Ex distinctione rationis ratiocinatae oritur ratiocinium pure nominale, quae improprie ratiocinium dicitur. Unde hic quaestio tantum est de ratiocinio proprie dicto qui procedit ex conceptibus inter se distinctis secundum distinctionem rationis ratiocinatae. Et dicimus dupliciter se habere. Scimus etiam^{que} distinctio rationis ratiocinatae seu virtualis eo fit, quod eadem res diversis conceptibus objectivis intrinsece diversis concipitur et ab intellectu ad invicem referuntur tanquam ejusdem rei, sed tali et tali modo. Abstractio

enim seu praecisio intellectus potest esse vel imperfecta vel perfecta. Illa obtinetur quando conceptus inter se sunt essentialiter, i.e. secundum notas quidditativas alia et alia simpliciter sed tamen expriment rationem unam eademque secundum quid; scilicet: conveniunt inter se secundum eandem proportionem. Et constat hoc esse conceptum analogum. Ita contractio entis in inferioribus suis obtinetur conceptibus ita diversis, quia enim in ente omnes differentiae inferiorum confunduntur in ratione proportionaliter una. Haec autem obtinetur quando conceptus diversi sunt secundum rationem significatam et hoc simpliciter et non secundum quid. Inter hos conceptus datur distinctio virtualis major quia res praebet intellectui fundamentum distinguendi secundum praecisionem perfectam. Ita gradus metaphysici inter se perfecte praescindunt. Et ideo conceptus ita praecisus dicitur univocus. Unde cum in aliqua demonstratione metaphysica medium sit semper conceptus virtualiter distinctus, medium erit vel analogum vel univocum. Quid sit vis medi tum analogi tum univoci? Quomodo se habentur in demonstratione metaphysica? Quem vim probativam habent? Ad hoc pergamus.

(1) Medium univocum: Cum enim demonstratio metaphysica assignat rationem propterquid, nempe causa vel essentia subjecti, igitur accipere oportet ut medium univocum omnia quae sunt vel pertinent ad genus sive nominatim sive quodlibet aliud commune. Aliqua enim dicuntur eadem propter hoc quod habent idem medium propter quid unum in genere, sed diversificatum in specie. v.g. homo habet idem medium propter

quid unum in genere animali, tamen in specie essentialiter differt. Et secundum exemplum Aristotelis sonus, echo, imago in speculo, et iris in nubibus, habent etiam idem medium propter quid unum in genere, tamen diversa sunt secundum speciem. Aliquae etiam demonstrationes habent idem medium secundum speciem. v.g. Ratio propter quid homo est flexibilis, disciplinabilis et risibilis, est rationabilitas.

Aliquando autem medium propter quid est aliquid commune, i.e. quod non est genus nominatim. Quia enim aliquid commune pluribus esse potest et non esse genus. v.g. Habere cornua pro animalibus est aliquid commune sed non est genus. Si autem sequitur quod omne animal habens cornua ruminat et habeat dentes tantum in inferiori mandibula, unde medium seu rationem propter quid haec animalia habent illas proprietates, est quia habent cornua. Et sic aliquid commune sumitur ut medium.

Ergo medium univocum, ut constat, ex praecedentibus dictis ^{hinc} supponit cognitionem directam vel essentiae, si medium est genus et species, vel notarum communium si medium est commune. Ex medio univoco igitur oritur demonstratio perfectissima quae fundatur in ipsa essentia subjecti. Praedicatum enim in hac demonstratione est ipsamet essentia subjecti, et ex hoc deducuntur proprietates.

(ii) Medium analogum: Medium autem esse potest etiam aliquid commune secundum analogiam proportionalitatis propriae, i.e. commune secundum aliquam proportionem. Quia enim tale commune proportionis unitatem habent. Ita

aliqua essentialiter inter se diversa convenire possunt propter unitatem proportionis. v.g. Ens essentialiter diversum in Deo et creaturis, tamen utrique convenit propter unitatem proportionis. Et proinde ex hoc medio analogo oritur alia demonstratio, alia progressio.

Ut habeatur autem, ut medium, conceptum univocum in aliqua demonstratione nulla est difficultas, cum sit conceptus simpliciter unus perfecte praecisus; sed non ita est pro conceptu analogo (proportionalitatis propriae). Quia enim medium analogum non est unus simpliciter sed unum secundum quid tantum; et proinde est conceptus imperfecte praecisus imperfecte abstractus. Unde surgit aliqua difficultas: quomodo medium analogum valet ad demonstrationem? Num enim in tali demonstratione non habemus non tantum tres terminos sed plures? Hic conceptus enim differentias actu continet, et proinde si praedicatur diverso modo in majori et minori alicujus ratiocinii, nulla demonstratio possibilis est.

Notandum est tamen quod in analogia proportionalitatis propriae, conceptus analogus, quamvis sit essentialiter diversus ab aliis analogis, etiam unitatem secundum quid intrinsecam, cum enim unus sit proportionaliter i.e. secundum similitudinem duarum proportionum inter se ita ut aliqua ratio una secundum quid proprie in unoquoque salvetur. Et proinde nulla est difficultas ut conceptus analogus sit medium in aliqua demonstratione si sumitur in utraque praemissa, i.e. in majori et minori secundum eandem unitatem proportionalitatis seu secundum eandem similitudinem proportionalem quae

existit inter analogos, et non secundum id quod constituit proprie tale analogum. v.g. Si dicimus substantia est ens; accidens est ens, praedicatum ens non attribuit subjecto analogata particularia ut plura sunt et secundum se sed tantum sub illa confusione et proportionali unitate haberi posse. Et proinde cum dicamus substantia est ens, accidens est ens, solum affirmamus de substantia et de accidente id quod in ratione essendi proportionaliter est simile vel convenit substantiae et accidenti. Quia "Quidquid convenit simili in eo quod simile, convenit etiam illi cuius est simile." Principium enim identitatis contradictionis super quod validitas rationum fundatur, etiam convenit notionibus analogis. Nam contradictio tantum consistit in affirmatione et negatione ejusdem attributi univoci eidem subjecto univoco. Identitas enim rerum et rationum activarum extenditur etiam ad identitatem proportionalem. Et hoc confirmatur a Sancto Thoma in Post. Anal. Com. Lec. 17 et 19 Lib. 2o. 13 et 14 "Alius modus investigandi propter quid, est eligere commune secundum analogum i.e. proportionem. Contingit enim unum accipere analogum, quod est idem secundum speciem vel genus, sicut os sepium quod vocatur sepium, et spina piscium, et ossa animalium terrestrium, omnia enim ista conveniunt secundum proportionem, quia eodem modo se habent spinae ad pisces, sicut ossa ad terrestria animalia. Ad hoc autem commune analogum, quaedam consequuntur propter unitatem proportionis; sicut si communicarent in una natura generis vel speciei, sicut esse coopertum carnibus." Ita ens bene potest esse

medium in demonstratione, siquidem habet passiones demonstrabiles, et non siquidem diversas, ut diversa sunt, sicut aequivocum, sed sub unitate proportionali et confusione quadam, quod sufficit ut de illo detur scientia et consequenter demonstratio, et habeat proprias passiones etiam transcendentales et analogas connexas illi rationi proportionali. Quia enim analogia proportionalitatis propriae habere possunt conceptum unum respectu omnium analogatorum inadaequatum et imperfectum, non tamen praescindenter ab inferioribus aliquid quod in potentia includat et actu excludat, sed per aliquid quod actu non explicat, actu autem includat seu implicat.

Et igitur medium analogum vim demonstrativam habet et proinde generare potest scientiam. Haec cognitio est analogica, tamen est cognitio, et hoc sufficit.

Et sic sufficienter videtur esse explicatum medium in genere quoad existentiam et naturam. Medium enim causa seu effectus demonstrationi physicae et metaphysicae convenit. Ad demonstrationem physicam pertinet medium effectus vel causa accidentale, contingens, realiter distinctum a principio, pure connexionis. Medium autem effectus seu causa essentialis, necessarium, formale, conceptuale seu virtuale, proprium est demonstrationis metaphysicae quae transcendit demonstrationem physicam in perfectione et certitudine. Et medio univoco et etiam analogo demonstrationum metaphysicarum vim probativam habent. His positis transeamus ad existentiam et naturam medii in specie

2. De existentia et natura medi in particulari.

Notionibus generalibus circa existentiam et naturam medi eluciatis, nunc festinamus sumere ipsam studium existentiae et naturae medi ad cognoscendam Dei existentiam. Et cum aquisitionem sit propositionem "Deus existit" non esse veritatem per se notam quoad se; quoad nos autem indigere demonstratione vel medio probativo, quia enim de Deo intuitionem immediatam habere non possumus. Unde hic intendimus determinare quomodo se habet cognitio nostra circa Dei existentiam. In primo opiniones quae praecipue occurrunt.

a) Opiniones qu^{ae} in hac materia inveniuntur ad tres principales sententias reduci possunt. Ad cognoscendam enim Dei existentiam admittitur:

vel nullum medium probativum,

vel medium in ordine reali ex parte Dei,

vel medium in ordine reali ex parte creaturae.

Prima sententia, nempe nullum medium probativum, triplici scholae attribuitur. Traditionalistae, empiristae et idealistae. Vetus enim fuit error dicentium "quod Deus esse non potest per rationem inveniri, sed solam per viam fidei et revelationis est acceptum. Qui error, nostro aevo, a Traditionalistis renovatus fuit, et viguit inter etiam catholicos. Aliqui Traditionalistae enim, ut Ventura, Bonnetty, qui dicuntur mitigati, docent rationem humanam sine divini magisterii revelatione primordiali impotens fuisset ad minimam notitiam habendam rerum spiritualium

et moralium. Alii autem traditionalistae rigidiores, ut de Bonald, asserunt necessitatem sermonis ad intelligendum et impossibilitatem repetendi sermonem ipsum ab humana institutione, inclinant ad donecendam homini, destituto exteriori magisterio, quamlibet intellectualem cognitionem.

Ex alia autem parte est aliquod genus sceptici qui, vel ut empiristae, inutilem et etiam nocivam reputant omnem demonstrationem Dei existentiae, vel ut idealistae paralogismum existimant argumenta quibus nituntur Theistae ad probandam Dei existentiam. Illi enim post Lockium et Hume, ut in Anglia Stuart Mill, E. Spencer, praesenti tempore William James; in Gallia post Comte, Taine et Littré; in Italia, post Melchiorum Gioja, Josephus Ferrari; aliique plus minusve materialismo addicti ut Spinoza et Schelling, qui, renovando dogma antiquorum sensistarum, Epicuriorum, Sexti Empirici, Guilielmi Occami, Petri ab aliaco, Nicolai ab Outrecourt, Hobbes, Berkeley, dicunt totam nostram cognitionem de sensibilibus et contingentibus esse. Pro eis enim sensibilia non cognoscuntur a nobis nisi quatenus sensus nostros afficiunt et modificant. Et proinde apud eos universale non est nisi "flatus vocis" vel "pura fictio". Tota nos idées générales, dicit enim Hume, sont en réalité des idées particulières attachées à un terme général, qui rappelle occasionnellement d'autres idées particulières, qui ressemblent en certains points à l'idée présente à l'esprit." Si autem, ut Kant et Kantistae, objectivitatem idearum nostrarum negant. Et ideo utrique, empiristae et idealistae, phaenomena quibus

fit demonstratio Dei existentiae libenter admittunt, sed noumenicas i.e. substantias et causas horum phaenomenorum rejiciunt. Et proinde, rejecta causarum existentia, Consequenter rejicitur principium causalitatis, et sic creatura ut effectum esse non potest medium probativum ad cognoscendam Dei existentiam. En aliquae eorum affirmationes quae praecedenta dicta confirmant.

Stuart Mill: (Essais sur la religion)

"L'expérience ne nous apporte aucune preuve pas même une analogie, qui nous autorise à étendre à ce qui nous paraît immuable une généralisation fondée sur notre expérience des phénomènes variables. Bien plus, comme tout changement a sa cause dans un changement antérieur, il semble que notre expérience, loin de fournir un argument en faveur d'une cause première, y répugne, et que l'essence même de la causalité telle qu'elle existe dans les limites de notre connaissance, est incompatible avec une cause première."

Spencer: (Les premiers principes p. 31)

"Nous sommes obligés de conclure à l'existence d'une cause première, infinie, absolue ou indépendante; cependant les éléments du raisonnement, de même que ses conclusions, ne sont que des conceptions symboliques de l'ordre illégitime."

James: (L'expérience religieuse, trad. Abauzit, 1906, p. 369)

"L'idée de cause est trop obscure pour qu'on puisse bâtir sur elle toute une théologie."

Comte: (Cours de philosophie positive, 5e édit. t.III, p. 590)

"Les démonstrations de l'existence de Dieu ne peuvent résister à la discussion...La principale tendance pratique des croyances ne consiste-t-elle point le plus souvent, dans la vie sociale actuelle, à inspirer surtout à la plupart de ceux qui les conservent avec quelque énergie une haine instinctive et insurmontable contre tous ceux qui s'en sont affranchis, sans qu'il en résulte d'ailleurs aucune émulation réelle utile à la société."

Litttré: (Philosophie positive, VI, 159)

"La science ne déclare point qu'il n'y a point de Dieu, elle déclare que toutes les choses se passent comme s'il n'y en avait pas. La philosophie positive recueille cette déclaration, et refuse de discuter ce qui ne peut plus être l'objet d'aucune expérience et d'aucune preuve... Pourquoi donc vous obstinez-vous à vous enquerir d'où vous venez et où vous allez; s'il y a un créateur intelligent, libre et bon...Vous ne saurez jamais un mot de tout cela. Laissez donc là ces chimères...L'esprit s'éclaire d'autant plus qu'il laisse dans une obscurité plus grande vos prétendus problèmes. Ces problèmes sont une maladie; le moyen d'en guérir est de n'y pas penser." G. Log. p. 96.

Secunda sententia: nempe medium in ordine reali ex parte Dei, attribuiamus eis qui docent existentiam Deo non convenire immediate, sed mediante aliquo

ascendenti evolutione vel secundum rationem idealismi, ut Hegel, vel secundum rationem materialismi, ut Haeckel, Bergson, Le Roy,...

Bergson: (Evol. creatr. p. 269)

"Tout est obscur dans l'idée de création, si l'on pense à des choses qui seraient créées et à une chose qui crée, comme on le fait d'habitude, comme l'entendement ne peut s'empêcher de le faire. Cette illusion est naturelle à notre intelligence, fonction essentiellement pratique, faite pour nous représenter des choses et des états plutôt que des changements et des actes. Mais choses et états ne sont que des vues prises par notre esprit sur le devenir. Il n'y a pas de choses, il n'y a que des actions..." Deus pro ei est "un centre d'où les mondes jailliraient comme les fusées d'un immense bouquet;-- pourvu toutefois que je ne donne pas ce centre pour une chose, mais pour une continuité de jaillissement. Dieu ainsi défini n'a rien de tout fait; il est vie incessante, action, liberté. La création ainsi conçue n'est pas un mystère: nous l'expérimentons en nous dès que nous agissons librement. Que des choses nouvelles puissent s'ajouter aux choses qui existent cela est absurde, sans aucun doute, puisque la chose résulte d'une solidification opérée par notre entendement et qu'il n'y a jamais d'autres choses que celles que l'entendement a constituées...Mais que l'action grossisse en s'avancant, qu'elle crée au fur et à mesure de son progrès, c'est ce que chacun de nous constate quand il se regarde agir." Evol. Créatrice p. 269.

Tertia sententia: scilicet medium probativum in ordine reali ex parte creaturae tenetur non tantum per omnes Thomistas sed per omnes scholasticos. Notandum est enim e domine Sententiarum usque ad medium saeculi decimi octavi omnes scholastici, praeter Petrus ab Alliaco et Nicolaus ab Outrecourt, Dei existentiam probari posse cum certitudine mediante connexionem necessaria inter Deum ejusque opera admittunt.

Scotus: (Oxon 1. d. 3 q. 4 n. 2)

"Invisibilia Dei, inquit Apostolus 1. ad Rom., a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Recta igitur ratione utentibus demonstrabile est per ipsas creaturas, Deum earum effectorem existere."

Bannez: (Dictionnaire de théo. cath. col. 926)

"Si enim quis neget naturaliter posse cognosci quantum sat est ad obligandum homines ad cultum Dei, negare Deum esse demonstrari posse est haerisis; si qui autem dicunt non demonstrari secundum artem aristotelicam, non est error in fide, sed in physica aut metaphysica, et temerarium in fide. Quapropter sit nobis certa conclusio. Sententia sancti Thomae in secunda sua conclusione. (Demonstrabile est Deum esse demonstratione quia, id est ex effectibus) est certissima et appositum ejus est temerarium."

Molina: (Dict. théol. cath. col. 926).

"Non solum temerarium, sed in fide minime tutum esse, ne amplius dicam, negare secundam conclusionem propositam."

{Demonstrabile est Deum esse demonstratione quia, id est effectibus.)

Suarez: (Opera omnia, l. I. c. 1 n. 13)

"Dico valde consentaneum fidei esse posse naturali discursu demonstrari Deum esse et hoc negare temerarium esse et errori proximum. Quoad hoc dicebam, videri posse aliquid addi per revelationem et doctrinam fidei, circa veritatem hanc; re tamen vera, si res attente consideretur, solum additur nova certitudo vel peculiaris modus cognoscendi. Nam si verum est, ut revera est, ratione naturali demonstrari Deum esse, eadem ratione ostenditur hoc esse demonstrabile et cognoscibile naturaliter, nam ab actu ad potentiam bona est illatio: si ergo demonstratum, demonstrabile est et cognoscibile naturaliter. Item lux se ipsam manifestat, et qui vere scit etiam scit se scire; si ergo ratione naturali scimus Deum esse, etiam scimus nos hoc scire et demonstrare."

Sanctus Thomas: (l. p.q. 2, a.2)

"Deum esse, quamvis non a priori, a posteriori tamen demonstrari potest, ex aliquo ejus notiori nobis effectu."
(Cont. gent. l.l.c. XII)

"Hujusmodi autem sententiae (scilicet: Deus non esse demonstrabile.) falsitas nobis ostenditur: tum ex demonstrationis arte, quae ex effectibus causas concludere docet; tum ex ipso scientiarum ordine; nam si non sit aliqua scibilis substantia supra substantiam sensibilem, non erit aliqua scientia supra naturalem, ut dicitur in

quarto Metaphys.; tum ex philosophorum studio, qui Deum esse demonstrare conati sunt; tum etiam apostolica veritate asserente (Rom. 1. 20): Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.

Deinde opinio Sanctae Matris nostrae Ecclesiae quae hanc veritatem demonstrabilitatis firmissime et clarissime tenet et docet tum in Encyclico Pascendi, tum in decreto Sacrae Studiorum Congregationis.

Decretum Sacrae Studiorum Congregationis: XXIV Theses

"Deum esse...a posteriori demonstramus, hoc est per ea quae facta sunt, argumento ducto ab effectibus ad causam: videlicet a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit disposuit et dirigit ad finem."

Encyclyoum "Pascendi Dominici Gregis":

"Neque illos plane retinet quod ejusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia: siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat: Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit."

Eandem sententiam demonstrare
intendimus et sic in nostris verbis enunciatur:

"Creaturae in quantum sunt effectus creati medium
metaphysicum esse valent ad demonstrandam Dei exis-
tentiam."

2. Demonstratio Theseos: Secunda pars.

1) Positive:

Major: Medium metaphysicum in demonstratione existentiae alicujus causae obtinetur quando effectus per viam causalitatis et per viam formalem ad suam causam refertur.

Minor: Atqui creaturae in quantum sunt effectus creati referri possunt ad Deum ut ad eorum causam tum per viam causalitatis, tum per viam formalem.

Conclusio: Ergo existit medium metaphysicum ad demonstrandam Dei existentiam.

Majoris nostrae veritas constat ex omnibus supradictis de medio in genere. Nam statuimus quod ex quolibet effectu demonstrari potest propriam causam ejus esse. Haec autem regressio effectus ad causam est vel per viam formalem seu intrinsecam vel per viam extrinsecam. Per viam enim formalem si medium est vel ipsamet essentia causae, effectus, et proprietatis metaphysicae, vel relationes essentielles causae et effectus, quia enim ita, connexio est essentialis, formalis, intrinseca, necessaria. Et proinde medium metaphysicum seu essenziale semper obtinetur in demonstrationibus tum per viam causalitatis, tum per viam formalem.

Minor autem per partes demonstrabitur.

Continet enim duas affirmationes, nempe primo: quod creaturae

in quantum effectus creati referri possunt ad Deum ut ad eorum causam per viam causalitatis; secundo: per viam formalem. Per primam partem demonstrare intendimus praecipue existentiam mediis probativi ad cognoscendam Dei existentiam; per secundam autem partem natura hujus mediis.

Prima Pars Minoris: Creaturae in quantum effectus creati referri possunt ad Deum ut ad eorum causam per viam causalitatis.

Creaturae enim, circa earum originem, scientiae ponunt quatuor questiones, quae accurate respondent scientiae officio cognoscendi per causas certas et evidentes. Nam cognoscere aliquem rem per causas ejus et cognoscere conclusionem per causas est idem ut antea diximus. Et ideo creaturae considerari possunt quadruplici sub aspectu, nempe ut effectus vel causae sive efficientes, sive materiales, sive formales, sive finales. Attamen ens creatum in quantum sit effectus causae efficientis considerari potest etiam vel in ipso fieri seu motus, vel in facto esse, cum enim transitus de potentia ad actum in hoc duplici aspectu consideratur. Ergo medium effectum ad Dei existentiam nos ducere debet per quinque vias, siquidem habet vim generandi talem conclusionem. Et de facto habet ut immediate videbimus.

Sed antea notandum est regressionem causae ad effectum vel effectus ad causam, parum refert, debet esse immediatam et necessariam. In aliis verbis causae quae exigitur per effectus est causa quae ei per se primo convenit. Unde punctum momenti ad hoc reducitur: num creaturae vel res

mundanae sufficiunt ad omnia explicanda? Possuntne iustificare eorum intellectu, eorum fieri et factum esse, eorumque contingentiam et imperfectionem, eorumque tandem mirabilem ordinem in qua appareant? Certe non, jam responderet sensus communis cujuscumque sani hominis: tantus sit effectus ut impossibile esset aliam causam assignare quam Deum. Mentis vero itinerarium in scientifico processu ad existentiam Dei demonstrandam, non tam facile et expeditum est. Longior est via, cum enim intellectus ex sophismatibus et erroribus se exonerare oportet, ut veritas clare reluceat.

Prima via: Regressio effectus in ipso fieri seu motus ad primum motorem immobilem, sicut omnis demonstratio, duplex elementum complectitur: elementum rationale scilicet principium universale qui ut tale referri potest ad particularia ex quibus abstrahitur, et elementum empiricum scilicet factum experientiae in quo verificatur principii universalitas et sic fit pons inter ordinem realem et ordinem idealem.

Hic elementum empiricum est existentia motus qui a nobis omnimodo observatur. Mutatio substantialis seu accidentalis; motus spiritualis aut sensibilis; motus localis et augmentationis: transitus de hoc loco ad locum; corruptio unius formae et generatio alterius; uno verbo quicumque motus tum in ordine corporali, tum in ordine spirituali. Et proinde ex experientia bene constat existentia motus.

Elementum autem rationale est: "omne quod movetur non tantum ab alio movetur, sed etiam ultimatim movetur ab aliquo primo motore immobili". Hujus principii

objectivitas ex ratione ipsius motus habetur. Motus enim seu fieri est transitus de potentia in actum. Haec est optima solutio Aristotelis ad conciliandum principium et factum omnino evidens, scilicet principium identitatis et mutationem entium. Ex ente enim in actu non fit ens quia jam est ens; sed id quod fit prius erat in potentia et fit ex ente in potentia. v.g. Statua fit ex ligno in qua prius erat in potentia, ex eo fit tanquam ex determinabili seu mutabili subjecto. Jamvero hoc determinabile seu mutabile ut sic ex quo fit statua non est nihil simpliciter, non est solum non ens seu negatio aut privatio formae statuae faciendae; haec negatio enim de se nihil est, ex nihilo autem per se nihil fit. Porro haec negatio invenitur in aere vel in aqua ex quibus statua fieri nequit. Nec ex ~~Essentia~~ ligni secundum quam lignum jam est in actu id quod est. Nec est actualis figura ligni transformandi. Nam ex ente in actu nihil fit. Nec tandem est imperfecta figura statuae faciendae scilicet imperfectus actus qui jam non esset simpliciter determinabile sed motus ad statuam ejusdem configuratio in fieri. Hoc determinabile tandem ex quo fit statua est in ligno capacitas quaedam suscipiendi formam statuae quae capacitas vocatur potentia realis ad statuam. Ergo fieri est transitus de potentia ad actum, transitus ex indeterminatione ad determinationem. Secus deberemus admittere cum intellectualismis absolutis vel exaggeratis, cujus pater olim exstitit Parmenides quem sequuntur Hegel et Spinoza, fieri vel mutatio esse impossibile et non esse nisi illusio, etiamque id quod est non minus evidens, multitudinem entium; vel cum anti-intellectualismi duce

Heraclito, postea Bergson, Le Roy, realitatem esse essentialiter, ex natura sua, fieri est sibi ipsa ratio. Id quod est calidum per se et ut tale fit frigidum. Uno verbo admittere contradictionem "realisatam". Et igitur valde est impossibile.

Immo transitus vel reductio de potentia in actum fieri nequit, nisi vi entis in actu: nihil enim dat quod non habet. Potentia non est per se in actu. Unio inconditionata diversorum impossibilis est. Ergo mutatio vel fieri indiget ratione entis extrinsecae seu causa efficiente ut "realisatur", vel in aliis verbis "nihil movetur nisi secundum quod est in potentia ad illud ad quod movetur, movet autem aliquid, secundum quod est in actu".

Jamvero in hac regressione medii effectus ad causam vel motus ad aliud movens non est procedendum in infinitum in causis per se seu essentialiter subordinatis. Nam causae dicuntur vel subordinantes, vel subordinatae, i.e. quae a subordinantibus vel a superioribus pendent. Denique causae subordinatae dicuntur per se vel per accidens. Causa per se subordinata tres sequentes habet condiciones; primo: quod ita dependeat a subordinante, ut sine ea nec esse nec operari queat; sic creatura dicitur subordinari Creatori; secundo: quod habeat causalitatem diversae rationis a causa subordinante; quia nulla causa requirit essentialiter et necessario aliam causam quae sit ejusdem rationis cum seipsa, ac proinde si necessario requirat concursum alterius causae, hic concursus debet esse diversae rationis; tertio: quod omnes causae essentialiter subordi-

nantes debent necessario concurrere ad effectum simul cum causa quae subordinatur, ac proinde simul cum ea existere debent. Ergo causa subordinata per se ita dependet a subordinante ut sine ipsius concursu nullatenus agere possit, et causae subordinantis causalitas est essentialiter distincta a causalitate causae subordinatae; v.g. actio solis distinguitur ab actione hominis generantis. Denique causa subordinans necessario debet simul concurrere cum subordinate ad effectum producendum, ita quod, defectu concursus causae subordinantis, causa secunda subordinate nullatenus agere possit.

Causa autem subordinata per accidens non ita est. Non exigit concursum subordinantis ut agat; ignis namque productus ab alio igne, independenter ab eo potest calefacere. Nec requirit causalitatem diversae rationis; ignis enim produciens et ignis productus possunt simul concurrere per causalitatem ejusdem rationis ad eundem effectum. Non exigit tandem praesentiam causae subordinantis; ignis siquidem productus agere potest etiam destructo igne qui eum produxerat. Aedificator est causa domus quoad ejus fieri, sed non quoad ejus esse, quod enim dependet ex naturis rerum ex quibus componitur et ordinatur.

In praesenti casu igitur, regressio effectus ad causam necessariam et immediatam, scilicet ad primum motorem immobilem tantum fit in serie causarum per se subordinatarum. Nam pro nobis non apparet impossibilitatem motorum seriei infinitae per accidens subordinatorum. Non videtur esse contradictorium, licet constat fide. Unde

credibile est sed non demonstrabile. Demonstrari enim non potest quod homo aut caelum, aut lapis non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte causae agentis, quae agit per voluntatem. Dei enim voluntas ratione investigari non potest nisi circa ea quae absolute necesse sunt Deum velle. Attamen, parum interest cum demonstrare intendamus ascensionem ad primum motorem immobile fieri in causis per se subordinatis.

Nullomodo enim universalis et actualis rerum mutatio, collectim sumpta, explicari potest sine primo motore immobili. Motus ita existens de facto non habet in se rationem sufficientem, et rationem entis "actualisatrix" in serie motorum quorum quisque ab alio movetur. Si enim in hac serie omnes motores ab alio influxum recipiunt, hic motus explicari non potest. Immo nullus movetur quia unumquodque spectat moveri ab altiore moventi, licet longa et infinita sit series, etiamsi absurde infinitum pertransiri potest, nihil facit. Et ut merito dixit Bertillanges: "Multipliez les causes intermédiaires jusqu'à l'infini, vous compliquez l'instrument, vous ne fabriquez pas une cause; vous allongez le canal, vous ne faites pas une source. Si la source n'existe pas, l'intermédiaire reste impuissant, et le résultat ne saurait se produire, ou plutôt il n'y aura ni intermédiaire ni résultat, c'est-à-dire que tout disparaît." Etiam constat impossibilitatem recurrere ad circulum entium quae moverent se invicem, quia enim idem in potentia seipsum movetur mediante alio, vel reciperet.

aliquam perfectionem qua antea carebat et simul non carebat. Et proinde ex nihilo aliquid fieret; et sic esset adhuc contradictio "realisata".

Si ut medium effectum sumimus motum physicum non concludere possumus nisi ad motorem immobilem, in ordine physico, v.g. ad aliquam animam mundi. Sed haec ipsa anima subiecitur alicui motui spirituali? Nonne sit in seipsa fieri? Et igitur haec apparitio alicujus novi supponit in hac anima, aliquam potentiam vel facultatem quae de se in actu non erat et proinde de se non agebat, sed potius agere poterat. Ergo etiam hic transitus de potentia ad actum requirit motorem superiorem, et consequenter questio est eadem num sit hic motor motus vel immobilis? Et proinde questio adhuc reponitur sicut in ordine spirituali. Nullus intellectus creatus sine primi intellectus concursu; nulla libertas sine concursu primae libertatis. Et ideo dicit Sanctus Thomas: "Deus in quolibet operante operatur"... Considerandum est quod si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis. Nam primum agens movet secundum ad agendum; et secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei; et ita ipse est causa omnium agentium. Ergo ad eum qui movetur in quocumque ordine assignare debemus ut causam propriam et necessariam primum motorem immobilem qui suae actionis rationem reddit. Immo hic motor possidere debet suam actionem non in potentia sed in actu, et consequenter esse suam actio et suam activitatem. Unde in hoc sensu motor absolute immobile habet ex se id quod alii acquirunt per motum. Ergo

essentialiter est distinctum ab omnibus entibus mobilibus, sive corporalibus sive spiritualibus. Primus motor enim essentialiter est immobilis, e contra mundus sive corporalis sive spiritualis essentialiter est mutabilis. Denique si agit per se, per se existere debet: operari sequitur esse et modus operandi, modus essendi. Et proinde est suum esse, scilicet: ipsum esse subsistens, actus purus, pura identitas. Ergo medium effectus quod sumitur ex ratione motus necessario nos manducere debet ad primum Movens immobile, actum purum, puram identitatem, ipsum esse subsistens quibus nominibus Deum designamus ut vidimus in definitione nominali.

Secunda Via: Hic medium effectus ex ratione entis in facto esse. Elementum empiricum est ordo causarum efficientium quae inest in rebus sensibilibus. v.g. actio solis relative ad vitam animalis, plantae; vel activitas chimica aeris pro respiratione etc...Tot sunt causarum exempla quae non tantum concurrunt ad productionem vitae sed etiam ad ejus conservationem.

Elementum autem rationale sumitur ex ratione causae efficientis et sic enunciatur: "non est possibile quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius". Ratio est, ut patet, quia talis causa esset prius seipsa. Et igitur si haec causa non existit per se ejus existentia ab altiore causa dependet. Itaque, cum diximus in prima via, non possumus procedere in infinitum in causis subordinatis per accidens; quia pro eadem ratione si daretur processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis, sequeretur nullam causam

agere posse quin infinitarum numero causarum a quibus subordinatae dependent, simul coagerent; et proinde tempus infinitum requireretur ad hoc ut etiam fieret modica quaelibet actio: siquidem priusquam fieret talis actio, causa subordinata determinanda deberet primam subordinantem, et hanc secundam, et secunda tertiam et sic in infinitum; ac proinde non posset quis etiam digitum movere, nisi per infinitum tempus, quia non posset fieri talis inflexio digiti, quin omnes causae subordinantes coagerent; nec illae possint coagere, nisi earum quaelibet a subordinata determinaretur; nec omnes ita possent determinari, nisi per infinitum tempus, si causae determinandae essent numero infinitae; ergo ad minimam etiam actionem eliciendam, opus esset infinito tempore; quo certo, nihil absurdius excogitari potest. Uno verbo infinitum pertransiri nequit. Attamen ex quotidiana experientia constat nos agere quando volumus.

Immo etiam si fieri posset processus in infinitum in causis accidentaliter subordinatis, v.g. si creatio esset ab aeterno, etiam tunc deberemus admittere primam causam. Omne enim ens vel est factum, vel non factum; sed omnia entia non sunt facta. Si omnia enim essent facta, fieri debuissent vel a se, vel ab alio; non a se, quia nihil seipsum producere potest, ut supra demonstravimus: non etiam omnia sunt facta ab alio: ergo oportet ut aliqua sint facta ab aliquo quod sit improductum. Si quidquid est, esset productum ab alio; sequeretur totam collectionem entium esse pariter ab alio productam; talis est enim collectio, qualia

sunt ea ex quibus coalescit; sed falsum est totam collectionem entium dici posse productam ab alio; tota enim illa collectio produceretur vel ab aliquo intra, vel extra collectionem. Ab aliquo intra collectionem non est possibile, quia nulla creatura existentiae rationem reddit, nam ut J.A. Sancto Thoma in primam q. 49 disp. 18 a. 1 p. 508-509 dicit "totalitas entis, quia totum ens facit, nihil supponendo ex quo fiat, vel quod disponat ad talem vel talem perfectionem faciendam: influxus autem seu virtus qui de se sufficit ad quodcumque creabile non potest esse aliqua entitas determinata, et limitata, quia non potest limitata virtus adaequare et respicere totum creabile. Et hac ratione non posse aliquam virtutem diffusam extra Deum operari totum ens modo illo universalissimo quo Deus creat, et creaturae dependent a Deo; hoc ipso est virtus creata, et effectus quidam Dei: ergo hoc ipso non operatur universalissimo modo in ens, in quantum ens, sed in particulari ad determinatum ens, et multo minus potest de se in totum ens creabile: Ergo idem erit de causalitate creata, quia si virtus creata, et extra Deum non habet modum universalem operandi, neque ipse influxus et causalitas id habebit. Non operatur ex nihilo." Et igitur esse seu existentia in actu non est de essentia rei creatae, sed accidentale praedicatum, et proinde dependet in facto esse a Deo; a fortiori non est praedicatum essenziale, quia est relatio superaddita rei creatae. Ergo necesse est creationem esse aliquid distinctum a creatura. Ita Petrus est causa propria generationis hujus viventis ejusdem speciei, sed non explicat existentiam

hominis super terram! Est enim causa univoca tantum. Secus si ex duobus entibus ejusdem speciei, unum esset per se causa formae alterius in quantum est talis forma, esset causa suae propriae formae, cum eadem sit ratio utriusque. Unde creatura est tantum causa formae individuali, scilicet formae secundum quod est in materia. Et sic nullus homo est causa speciei humanae; neque creatura est causa existentiae creaturae. Sunt enim effectus particularissimi qui exigunt ut causam propriam, causas particularissimas. Et hoc confirmatur a St. Thoma: "Nullum agens particulare, enim dicit, potest esse simpliciter causa speciei; sicut hic homo non potest esse causa speciei humanae, esset enim causa omnis hominis, et per consequens sui ipsius: quod est impossibile. Est autem causa hic homo hujus hominis per se loquendo. Hic autem homo est per hoc quod natura humana est in hac materia, quae est individuationis principium. Hic igitur homo non est causa hominis, nisi in quantum est causa quod forma humana fiat in hac materia. Hoc autem est esse principium generationis hujus hominis. Patet ergo quod nec hic homo, nec aliquod aliud agens univocum in natura est causa nisi generationis hujus vel in illius rei." Cont. gentes in Lib. 3. c.65. Et igitur si aliquis dicit mundum semper fuisse; concludemus causam primam mundo existentiam semper dedisse. Si etiam dicitur activitatem entium ab aeterno procedere; respondemus: causam primam vim cujus est fons eis ab aeterno communicavisse. Nam hic mundus vel collectio entium qui ita esset ab aeterno etiam ab aeterno insufficiens esset et proinde indigeret explicatione et clamaret ad suam

causam universalissimam. Ergo necessarium est ut admittatur aliquod ens improductum, primum et causa efficiens omnium rerum. Pariter dicendum est de circulo entium, ut notavimus in primae viae demonstratione, quia in hoc casu causae essent causa sui ipsius.

Et igitur regressio effectus, scilicet entis in facto esse necessario nos ducere debet ad primam causam non causatam, quae habet ens a se, nullo modo recepta, et proinde ipsum esse subsistens, ut intelligimus de Deo. Sicut primus motor et a fortiori causa prima agit per se, est sua activitas et ens a se. Effectus hic consideratus universali sub respectu entis communis corporibus et spiritibus, nos manuducit ad causam non tantum effectricem et conservatricem corporum, sed etiam ad causam omnium rerum quae non existunt per se, neque per se operantur, sed transiunt de potentia ad actum. Ergo patet ens in facto esse potest esse medium ad demonstrandam Dei existentiam.

Tertia via: Hic effectus consideratus non est dependentia entis creati ad causam primam quoad fieri et facto esse sed ens quoad suam contingentiam, scilicet ut effectus materialis.

Elementum empiricum est factum contingentiae entium quae nobis constat tum in generatione, tum in corruptione. Creaturae enim necessario non sunt, et possibile ea esse vel non esse. Mineralia, planta, animalia, hominesque alterantur et transmutantur in alia substantia cum materia mediante motu quo producuntur. Accidentia

redditur disposita pro alia forma. Et sic aliquando alia generantur et alia moriuntur. Omne enim opus corruptibile in fine deficiet. Et ideo si aliquando sunt et aliquando non sunt accipiunt esse ex non esse siquidem generantur et corrumpuntur.

Elementum rationale est principium metaphysicum causalitatis, generalissima sub forma, nempe: "id quod non habet in se rationem sufficientem existentiae suae, hoc habere debet in alio. Scimus enim principium rationis sufficientis latius esse principio causalitatis. Extenditur enim ad omne ens absolute, cum principium causalitatis non extendatur nisi ad ens quod fit, quod extra se rationem sufficientem habet. Ratio sufficiens duplici sub aspectu considerari potest; Primo: ratio sufficiens intrinseca essendi; secundo: ratio sufficiens extrinseca fiendi. Causa est ratio sufficiens intrinseca fiendi, realiter distincta ab effectu, et principium causalitatis tanquam principium fiendi secundum hanc rationem sufficientem extrinsecam dicitur. Principium autem rationis sufficientis dicitur tum secundum extrinsecam tum secundum intrinsecam rationem. Ideo etiam dicitur secundum distinctionem rationis ratiocinatae, immo secundum distinctionem rationis ratiocinantis, ut eum Deus dicitur ens a se seu habere esse a se, seu ex essentia habere rationem sufficientem sui esse.

Unde si res ita est ut omnia entia contingentia sunt, etiamsi in illis et in eorum generationibus habetur processus in infinitum, ut si creatio esset ab aeterno, admittere debemus existentiam Entis necessarii quod existit

per se, ab aeterno et non potest non esse. Hoc enim ens rationem sufficientem existentiae suae habere oportet; secus questio posita remaneret. Etiam si series sit infinita, parum refert adhuc dicimus, ab aeterno insufficiens est et ab aeterno ad ens necessarium clamat. Ratio est quia quod habet esse ex non esse, oportet quod per aliquod ens in actu habeat illud, et hoc esse non potest corruptibile, contingens, quia omnia contingentia habent esse ex non esse et non datur processus in infinitum. Ergo supponunt aliquod ens non contingens, a quo habeant esse; scilicet ens necessarium. Hoc autem habet necessitatem essendi a se vel ab alio a quo causatur. Si ab alio questio adhuc ponitur; si a se est ens improductum vel increatum, et hoc est Deus.

Deinde haec regressio effectus contingentis ad causam necessariam non tantum probat esse ens necessarium, sed etiam esse ens necessarium distinctum a mundo. Ratio est quia hoc ens necessarium a priori non potest esse neque collectio entium contingentium, neque eorum lex, neque eorum fieri vel materia qui communis est, sed ens ipsum, actus purus omnino perfectus. Nam primo: series entium contingentium, ut diximus, quamvis sit infinita, non constituit ens necessarium absolutum. Series innumerabiles idiotorum hominum nullomodo intelligentem hominem constituit. Secundo: si ens necessarium esset lex per quam uniuntur elementa contingentia et transitoria, haec lex habere oportet in se rationem sufficientem sui ipsius et etiam omnium phaenomenorum sub ejus influxu. Atqui lex est comparatio constans inter plura

phaenomena vel plura entia et proinde existentiam phaenomenorum supponit et ab eis non supponitur. Existit enim in quantum existunt. v.g. Calor dilatat ferrum si est calor et ferrum. Tertio: ens necessarium esse non potest neque substantiam communem omnibus entibus neque fieri ut constat. Nam substantia subjectum est fieri. Atqui fieri ipse causam non receptam, causam determinantem et non determinatam exigit. Et proinde habere debet in actu et non in potentia omnia quae habet. Quod est enim in potentia non reducitur in actum nisi per ens in actu. Quod est ratio omnium ab alio aliquid recipere non potest. Ens necessarium neque etiam fieri esse valet. Nam fieri proprium est entis contingentis. Et hic non est transitus illigotimus ordinis idealis ad realem, quia enim definitio entis contingentis non tantum nominalis sed realis nullo modo implicat existentiam in suo conceptu adaequato essentiae suae. Accidit ei esse et proinde non existit vi sui. In conceptu enim creaturae continentur omnia praedicata essentialia et etiam differentia numerica et non existentia. Immo non habet in se suam rationem sufficientem qui consistit in unione diversorum. Non potest esse inconditionatum; secus rueret principium contradictionis. Denique fieri est transitus indeterminationis ad determinationem. Unde necesse eum habere causam determinantem. Secus plus a minori, ens a nihilo oriretur. Quarto: Entis necessarii transitus ad ens ipsum, actus purus, absolute perfectum sic a priori probatur. Ens a se, cognitum ut existens de facto, continet existentiam in suo conceptu adaequato essentiae suae et sic existit vi

sui scilicet per essentiam suam. Denique ens qui est sua existentia, non pertinet ad aliquod genus, vel species. Extra enim ens non est differentia, continet enim actu omnia quae diverso modo ab aliis participantur. Et proinde hoc ens est omnino perfectum, quia a se continet totam perfectionem essendi. Nam qui existit vi sui seu per essentiam suam nullam includit imperfectionem, nullam limitationem, neque in ordine essentiae, quia essentia non esset amplius suam existentiam. A fortiori nullo modo limitationem spatialem et materialem. Uno verbo ens per se est ipsamet existentia. Ergo medium effectum in hac via necessario et immediate nos ducit ad ens necessarium, omnino perfectum ut intelligimus de Deo.

Quarta via: Hic effectus consideratus est creatura sub ejus aspectu multiplicitatis ejusque compositionis et imperfectionis. Et ideo elementum empiricum in eo consistit quod datur magis et minus in rerum natura, non quidem secundum essentias específicas, quae in indivisibili sistunt, sed secundum diversas perfectiones quae suscipiunt magis et minus, sive speciales, ut virtus et sapientia, sive transcendentales ut veritas, bonitas, entitas. v.g. Rationalitas eodem modo in omnibus hominibus specificè salvetur. Petrus non est magis homo vel rationalis quam Paulus. Similiter genus non suscipit magis et minus, quamvis sit realisatum diverso sub gradu perfectionis, tamen in quantum genus non suscipit magis et minus: contrahitur enim in inferioribus suis per differentias sibi extraneas. Non ita est perfectiones transcendentales, ens, unitas, veritas, et bonitas; non enim contrahuntur per modum

expressioris conceptus et igitur non diversificantur seu non determinantur per differentiam extraneam notioni vel perfectioni contrahendae et proinde analogice habentur in eis. Unitas, veritas et bonitas enim omnibus entibus diverso sub gradu et titulo conveniunt. v.g. lapis est bonus propter suam duritiam, fructus propter suam dulcedinem, equus propter velocitatem sui cursus. Si enim consideramus perfectionem entium; homo nobilior est animali; animal nobilius est planta. Ex alia parte veritas si consideratur in quantum est adaequatio intellectus cum re non suscipit magis et minus; intellectus enim adaequatur vel non adaequatur cum re. Sed si consideratur ens in quo invenitur et fundatur veritas, certe sunt diversi gradus. Quae enim sunt maxime entia sunt maxime vera. Et sic propositio per se nota v.g. principium contradictionis verior est conclusione quae ex ea deducitur: quia enim adaequatur non tantum alicui modalitati entis sed ipsi enti. Est enim lex essendi universalissima. Similiter conclusio necessaria verior est conclusione contingenti, quia adaequatur non tantum contingenti, ut Petrus currit, sed alicuidam aeterna ut si dicamus Petrus est rationalis. Et igitur sic nobis constat in creaturis aliquid magis et minus bonum, verum et nobile esse.

Elementum autem rationale in hac via per quam ex creaturis sic consideratis ad Deum ascendimus est hoc principium: Quando aliqua perfectio quae in suo proprio conceptu nullam imperfectionem involvit et tamen invenitur in diversis entibus diverso sub gradu perfectionis nulla ex iis quae illam perfectionem possident imperfecto modo de ea rationem

reddere possit. Et proinde indiget explicatione in aliqua causa in qua perfectio illa perfecte et adaequate salvetur. Quia enim "magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diverso modo ad aliquid quod maxime est". Ita aliquid est magis bonus secundum quod magis appropinquat maxime bonitate, sicut aliquid est magis calidum secundum quod magis appropinquat maxime calido.

Ita explicatur autem transitus ex hoc principio universali ad ordinem realem. Si enim plura ita gaudeant aliqua perfectione vel haberent illam a se et sic haberent in summo gradu, cum nulla excogitari possit ratio cur alia majorem, alia minorem habeant; vel non a se et proinde illa perfectio a pluribus diverso modo participatum invenitur. Et ideo ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori ad aliquid unum. Multitudo enim non reddit rationem unitatis. Non sufficit autem dicere quod eadem qualitas quae invenitur in diversis, ^{nullum} ex his eam possidet et proinde eam accipiunt seu participant. Quia enim non ascendimus ex multiplicitate ad unitatem nisi simul ascendimus ex compositione ad simplicitatem, ex imperfectione ad perfectionem. Propterea addimus si qualitates illae cujus conceptus nullam imperfectionem involvit, inveniuntur in aliquo cum imperfectione, illud illam de se non possidet, sed ab alio in quo perfecte obtinetur possidet. Quapropter pulchritudo non pertinet ad Petrum tum quia multitudo unius rationem reddere non possit, tum quia in eo haec perfectio non in summo gradu invenitur sed e contra mixta imperfectione.

Denique hic transitus ex imperfecto ad perfectum ultimo justificatur in notionibus compositionis et simplicitatis. Imperfectio enim dicit limitationem vel carentiam perfectionis. Atqui nulla perfectio de se implicat imperfectionem vel limitationem et multo minus talem perfectionem; pulchritudo et difformitas, scientia et ignorantia non possunt uniri ex seipsis: eorum enim conceptus omnino diversi sunt. Et igitur imperfectionis et perfectionis unio in creaturis quae nobis omnimodo fulget, in nulla explicari potest quin habeatur alia causa extrinseca. Quae enim diversa sunt secundum se, non conveniunt in aliquod unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa. Secus haec perfectio esset inconditionata. Haec autem ratio extrinseca, non potest esse in subjecto in quo invenitur perfectio quia enim quod alicui convenit ex natura sua et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse nequit. Petrus non habet secundum quod ipsum est pulchritudinem, quia hoc esset dicere unionem inconditionatam diversorum esse possibilem. Ergo omne quod alicui non convenit secundum quod ipsum est, per aliquam causam ei convenit, nam quoad causam non habet primum et immediatum est. Uno verbo ubi est diversitas, compositio, requiritur unitas, simplicitas, identitas perfecta quae tantum invenitur in Ipso Esse subsistens in quo existentia et essentia omnino identificantur.

Deinde primum ens essentialiter distinctum a mundo esse debet, non tantum propter suam immobilitatem sed propter suam simplicitatem, dum mundus essentia-

liter est mixtus et compositus. "Deus enim cum sit una singularis simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus." Sess. III c.v. Conc. du Vatican. Prope simili modo Sanctus Augustinus, laudans antiquos aliquos philosophos ex eo quod Deum inveniunt, dicit: "Propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et omnia ista fecisse, et ipsum a nulla fieri potuisse. Consideraverunt enim quidquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse, quam corpus, speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitae. Proinde intelligibilem speciem sensibili praetulerint. Sensibilia dicimus, quae visu tactuque corporis sentiri queunt: intelligibilia, quae conspectu mentis intelligi possunt. Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de quae non animus iudicet. Quod profecto non posset, nisi melior in illo esset haec species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esse, non alius alio melius de specie sensibili iudicaret: melius ingeniosior quam tardior, melius peritior quam imperitior, melius exercitator quam minus exercitatus, et idem, ipse unus cum proficit, melius utique postea quam prius. Quod autem recipit magis et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabilis esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, et si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid ubi prima esset incommutabilis,

et ideo nec comparabilis: atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta." Civ. Dei l. l. 8 c.6.

Jamvero simili modo possumus ascendere ad primum intellectum, ad primum intelligibile, ad primum desideratum, ad fontem omnis felicitatis, ad primum tandem et supremum bonum, fundamentum omnis officii. Et sic creatura in quantum nobis diversitatem graduum manifestat, nos ducit ad causam formalem scilicet ad id quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime ens. Ergo creatura in quantum composita, imperfecta et limitata potest esse medium ad demonstrandam existentiam entis omnino perfecti, actus puri simpliciter ut dicimus de Deo.

Quinta via: Regressio effectus ad Deum etiam fieri potest ex parte finis. Elementum empiricum in hac regressione effectus ad causam finalem est ordo rerum quae nobis fulget omnimodo et in quocumque specie entium. In mundo enim organico quam mirus vel plantarum aut animantium, maxime hominis, vel etiam solius oculi aut cerebri, ordo est. In mundo autem anorganico non minus splendidus pluviae, grandinis, meteorarumque generatio, vel atomarum, molecularum, crystallorumque compago vel tandem astrorum dispositio et cursus. Nos tamen, quamvis sit jucundus studendi, de his singulis non tractabimus; sed nobis sufficit factum omnino evidens ordinis mirabilis rerum. Quis enim non videt in tanta rerum discrepantium multitudine mirificus ille concentus? Quaeque suis locis accomodantur et in proprios fines constantibus legibus tendunt.

Immo omnia ea inter se nectuntur, ut etiam contrario inter se ad bonum totius et pulchritudinem optime conferant. Quod quidem mirabilior est, si consideratur ordinis hujus constantia in tanta rerum varietate, mutatione et virium contrariarum pugna. Unde ordo est factum omnino evidens in mundo.

Denique elementum rationale seu principium universale virtute cujus ex facto rerum ordinis ad Deum ascendimus ut primum intelligens est "impossibilitas ut ea quae carent cognitione tendant in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente". Et ita verificatur.

Quid sit enim finis? Est id cujus gratia cetera fiunt: Quia enim si materia non consequitur formam nisi moveatur ab agente: secus se reduceret de potentia in actum. Ex alia parte agens non movet nisi ex intentione finis: ex indeterminatione etiam nihil sequitur. Et ideo si agens non determinatur ad aliquod certum, quod habet rationem finis, non magis faceret hoc quam illud. Et proinde hanc rationem finis percipi non potest nisi a facultate cujus objectum formale est ens ut ens. Illa quae cognitione carent dicuntur tendere in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a seipsis, cum enim etiamsi finem cognoscunt, tamen non cognoscunt finis rationem. Ultimo ordinatio mediæ ad finem, supponit unitatem conceptionis et sic ex multiplicitate ordinata ad unam et eandem finem, necessario nos ducit ad unum intellectum, unum ordinatorem. Nam rationis est dirigere quia rationis est ordinare. Ideo quando aliquid mirus opus v.g. pons quebecensis qui totius orbis nonum mirum esse

dicitur, immediate dicimus a magno et unico quodam intellectu hoc proficisci, etiamsi si esset plures machinatores ad eum efficiendum quia enim talis est ordo in hoc opere ut quaeque pars relative ad totum entis rationem habet. Et sic si ita est pro operibus longe minoris et minus operosis quam ordo rerum, quid de mundo dicendum erit? Haec ordo constantia rerum in proprios fines indiget explicatione, exigitque unam conceptionem, unum intellectum. Hic intellectus requisitus debet esse actum purum, quia si hoc non esset, essentia et existentia, intellectus et intellectio, intellectio et intelligibile distingui debet. Et proinde haec ordo essentiae ad existentiam etc...exigit superiorem intellectum et questio adhuc posita nos ducit ad primum intellectum qui, ut actum purum, infinitum esse debet. Ergo ordo rerum sumi potest ut medium effectus et nos manducere debet ad primum rivum gubernantem intelligendo, ad Ens qui dixit de se ipso "Ego sum qui sum" et de cuius S. Augustinus dixit "Tanquam in ejus comparatione ea quae mutabilia facta sunt non sint." Unde hic gubernans a nullo superiori dependens est ipsemet Deus.

Ergo quinque sunt viae quae ex creaturis tanquam effectus nos ducit ad Deum ut primum movens immobile, Prima Causa incausata, Primum necessarium, Maximum ens et Primum Intelligens regulator orbis. Praeter has ascensiones rationis ad existentiam Dei nulla est. Quinque enim aspectus per quos manifestantur creaturae ut effectus et proinde medium effectus in aliqua demonstratione Dei existentiae esse nequit nisi unus ex his quinque effectibus quibus res nobis manifes-

tantur. Si adest alia media ultimatim ad hunc medium reducuntur. Et ideo in hoc sensu constat medium esse ad demonstrandam Dei existentiam.

Minoris Secunda Pars: Creaturae in quantum effectus creati referri possunt ad Deum ut ad eorum causam per viam formalem:

Scimus nunc quod Deus per aliquod medium sumptum ex parte creaturae demonstrari valet. Probavimus enim regressum effectus creati ad primam Causam, videlicet Deum, quinque modis fieri potest. Sed hoc medium, virtute cuius ascendimus ad Deum et cuius existentia nunc constat, quae sit ejus vis? Cum quam certitudine mentis assensioni imponitur? Et ideo hic questio de natura medi ad cognoscendam Dei existentiam per viam formalem ut affirmatur in minoris secunda parte dilucenda est.

Via formalis seu progressus formalis, scilicet de uno in aliud secundum rationem, hoc vidimus, habetur quando medium ipse est formale, conceptuale, essenziale intrinsecum. Medium autem formale in ipsamet essentia subjecti continetur. v.g. Si dicimus: comburere est proprius effectus ignis; atqui est ignis; Ergo est aptitudo seu virtus ad comburendum. In hoc syllogismo conclusio essentialis est igni et proinde per viam formalem seu essentialem habetur. E contra si in eodem syllogismo concludimus: ergo aliquis ignis comburit. Hic effectus, videlicet comburere, non est intrinsecus subjecto seu non est de essentia ignis, quia sumitur ut effectus extrinsecus, actualis. In primo autem casu effectus, nempe aptitudo

ad comburendum essentialis est igni. Comburere enim est de ratione ignis et ejus proprius effectus. Unde omnis conclusio ita deducta ex effectu ad causam, quicumque sit effectus, est intrinseca, essentialis, formalis, et proinde certitudinem absolutam habet. Haec omnia satis relucent ex omnibus supra dictis; propterea haec non amplius explicavimus. Sed interest maxime in praesenti accuratius inquirere et investigare quomodo demonstratio Dei existentiae per viam formalem obtinetur.

Acquisita autem natura medii formalis, exinde faciliter deduci potest demonstrationem Dei existentiae esse per viam formalem. Nam medium effectus in his omnibus viis demonstrationis Dei existentiae est essentialis subjecto vel principio. Est enim de ratione motus ut quidquid moveatur ab alio moveatur et ultimatim moveatur ab aliquo primo motore. Est de ratione causae efficientis ut sit prima causa. Est de ratione entis contingentis ut sit ens necessarium. Est de ratione entis imperfecti et limitati ut sit, ens perfectum et illimitatum. Est tandem etiam de ratione finis ut sit primus intellectus. Et proinde transitus de motu, de causa efficiente, etc..ad primum Motorem, primum agentem, ens necessarium, perfectum et primum intellectum, non est de uno in aliud secundum rem, sicut habetur in scientia physica, sed de uno in aliud secundum rationem. Si vero hujus rei rationes quaerimus sunt ex ipsa notione medii essentiali seu formali desumendae. Nam cum transimus v.g. de motu, de causa efficiente, de ente contingentis, etc...ad primum motorem, primum agentem, ens necessarium, non est transitus ad aliquid extrinsecum, ad aliam

veritatem sed tantum explicatio intellectualis veritatis principii vel majoris qui in se duas veritates continet, scilicet: unam explicatam v.g. ens contingens; et aliam essentialiter implicitam v.g. ens necessarium. Sufficit enim analysim majoris v.g. motus et ens contingens, ut intellectus hanc veritatem videat. Immo si intellectus humanus non esset limitatus immediate perciperet inclusionem hujus veritatis sine ullo medio: hoc non posset si haec veritas non esset inclusa. Relatio enim causae efficientis ad effectum per quem ascendimus ex creaturis ad Deum non est relatio vel connexio physica quae proprium est naturalis scientiae, sed essentialis, inclusiva. Omnes enim creaturae sub una specie relationis ad Deum ut sunt creaturae ipsius referuntur. v.g. mutabilitas quae competit omni creaturae non est secundum aliquem motum naturalem, sed secundum dependentiam ad Deum, a quo si desererentur deficerent ab eo quod essent. Causa agens prima requiritur non quia effectus est contingens sed quia effectus non esset si causa non esset. Licet habitudo vel relatio ad causam non intret definitionem entis contingentis, quod est causatum, sed parum refert, consequitur tamen ad ea quae sunt ejus ratione, et hoc sufficit ut sit essentialis creaturae. Nam sunt relationes non accidentales sed essentielles qui implicantur in aliqua essentia determinata. Conceptus autem qui hanc essentiam exprimit, simul exprimit relationes in ea contentae. Atqui Deus cum sit ipsum esse per essentiam, fons omnis existentiae, ipso facto esse creatum est proprius effectus ejus et ab ea

essentialiter dependet. Et ideo omnia media quae super hanc dependentiam ad Deum fundantur sunt essentialia et intrinseca. Ita omnes relationes et habitudines creaturae ad Deum consideratae ut causa prima vel efficiens vel finalis etc...sunt relationes omnino essentialia. Cum ergo nihil est formalius quam essentia vel relationes essentialia, talis demonstratio dicitur per viam formalem. Ergo sequitur certissime demonstratio Dei existentiae per viam formalem, inclusivam, analyticeam, sicut proprium est demonstrationi metaphysicae.

Cum autem auctores dicunt mathematicam et logicam non admittere nisi demonstrationem per causam formalem dum metaphysica per causam efficientem et finalem, hoc non significat omnes demonstrationes per viam formalem non convenire nisi logicae et mathematicae; secus omnes demonstrationes metaphysicae nullam vim haberent nisi hypotheticam quae scientiae physicae convenit, quod esse non potest ut antea probavimus, sed tantum processum quoad externam apparentiam, si hoc dicere possumus, esse per causam vel formalem, vel efficientem, vel finalem. Nam cum metaphysica aliquod ens considerat sive sit effectus vel causa efficiens, finalis et exemplaris, eum attingit non in quantum talis causa vel talis effectus, sed aliquo sub respectu essentiali et transcendentali; de singulis enim entibus proprias rationes per quas sunt tale vel tale ens non considerat, sed tantum rationem communem entis quam participant. Ita demonstrationes Dei existentiae quamvis sint per causas extrinsecas, tamen processus est intrinsecus, inclusivus et formalis, in eoque essentialiter a demonstrationibus physicis differunt.

Attamen demonstratio per viam formalem duplici modo obtinetur quatenus medium conceptuale est vel univocum vel analogum, seu quatenus progressus est de uno in aliud per conceptus inter se distinctos vel secundum distinctionem virtualem majorem vel secundum virtualem minorem. Unde in demonstratione Dei existentiae quid sit medium? Responsio facilis est. Videmus enim medium univocum cognitionem directam supponere. Atqui de Deo cognitionem directam est omnino impossibilis; nam intellectus humani, ut clarissime patet ex omnibus antea positis, conjuncti corpori, proprium objectum est quidditas in materia corporali existens; et per hujusmodi tantum naturas visibilium rerum in invisibilium rerum aliqualem cognitionem ascendit. Ergo nullomodo esse potest medium univocum ad cognoscendam Dei existentiam. Medium autem analogum certe convenit ad demonstrationem Dei existentiae ut fulget etiam ex eo quod provenit ex consideratione entis creati ut abundantius explicavimus. Sed surgit aliqua difficultas. Ex medio analogo oritur cognitio analogica imperfecte praecisa; et proinde quomodo hoc medium certitudinem perfectam generare valet? Quomodo ad Deum ens perfectissimum applicare potest?

Primo: Notandum est quod duplici modo aliquid cognosci potest, nempe quoad essentiam et quoad existentiam. Cognitio perfecta de essentia numquam habetur nisi in cognitione univoca, in qua intellectus percipiendo relationes rerum essentielles, perfecte praescindit notas essentielles. In cognitione analogica, essentia imperfecte praecisa semper est imperfecta. Existentiae

autem alicujus rei cognitio sive univoca sive analogica semper est perfecta. Ratio est quia omnis effectus cujuscumque naturae et qualiscumque sit ejus perfectio ex natura sua est conceptus relativus et proinde necessario includit conceptum causae. Nam correlative sunt simul cognitione. Sicut enim concipere non possumus conceptum filii nisi simul conceptum Patris habeamus, ita ex cognitione per viam alicujus effectus ut sunt creaturae necessario et certe cognoscere debemus causam primam. Nam principium causalitatis est respectu principii contradictionis id quod consequentia est respectu principii immediate. Negare consequentiam recte deductam nonne sit enim negare ipsum principium? Negare autem principium causalitatis est negare ipsammet existentiam effectus. Sed forsitan adhuc objici potest, conceptus causae est analogus et proinde imperfecte dicitur de causa ultima. Obiectio non valet. Parum refert enim si causalitas tali vel tali modo habetur in hoc vel in illo ente, dummodo in unoquoque eorum applicare potest. Nam conceptus universalis causae non est conceptio idealis sed factum vitae. Neque conceptus ex experientia generaliter consideratus, sed notio omnino prima quae pertinet ad intellectum in quantum intellectum. Neque sensibile per se sed tantum per accidens quia statim percipitur ab intellectu ad occursum rei sensatae. Sensus enim attingit rem quae est causa sed non rationem causae. Intellectus autem sicut sub qualitatibus sensibilibus, v.g. odore, sono, ens et substantiam percipit; similiter attingit existentiam cujuscumque effectus. Et igitur principium causalitatis habetur per perceptionem entis qui hoc manifestat et ex

quo deducitur. Adhuc parum interest si hoc vel illud phaenomenum hoc manifestat, dum vis principii causalitatis deducitur ex ipsomet objecto formali intellectus quod est ens.

Secundo: Dicimus non repugnare ut perfectiones absolutae et analogicae, secundum eorum proprium sensum, Ens summe perfectum exprimant. Atqui notio causae et effectus perfectiones absolutas et analogicas exprimant. Ergo hae notiones non repugnant ut analogice Ens summe perfectum exprimant. Hujus rei ratio est quia perfectio simpliciter secundum suam rationem formalem nullam imperfectionem involvit, et proinde apta est ad exprimendum Ens summe perfectum, cum enim ei nihil opponitur nisi imperfectio. Cum autem perfectio analogica essentialiter diversa est, nulla etiam est impossibilitas, ut modo infinito secundum eorum perfectionem formalem applicatur. Ergo haec notio analogica Deum exprimere potest. Cum igitur causa efficiens, finalis etc., pertinet ad ens: sunt enim rationes extrinsecae entis quod non existit per essentiam suam, sequitur causa nullam involvere imperfectionem. Sine dubio Deus non causat ad modum creaturae, sed cur tamen non possit causare et efficere, quamvis diverso modo, sicut creaturae? Et si causa efficiens esse potest, a fortiori, valet esse finis quae est ratio suprema rerum. Etenim actio causalis ut notio analogica non tantum est actio accidentalis, temporalis, formaliter transitoria et transitiva, sicut creaturis convenit, sed etiam actio permanens, aeterna ut convenit Agenti summe perfecto et infinito.

Ergo processus demonstrationis Dei existentiae est essentialis, intrinsecus, virtualis, analytica, tam formalis

est quam essentia dicitur forma, etiamsi refertur ad causas extrinsecas ut efficiens et finalis. Nullus transitus ad aliam realitatem sed progressus de uno in aliud secundum rationem scilicet per viam formalem, inclusivam et omnino homogeneam. Et proinde Dei existentia monti imponitur cum certitudine perfecta et absoluta, sine ulla formidine errandi. Manifestatur enim ex ratione motus, ex ratione causae efficientis, entis contingentis, imperfecti et limitati, ordinis universi. Omnes autem hae viae revera sunt formales.

Unde nunc clarissime constat medium effectus, scilicet creatura, quocumque sub respectu sumitur, ad Deum nos manuducit per viam intrinsecam et omnino formalem.

Demonstratio ergo existentiae et naturae medii sic clauditur. Et nunc cum adversariis in proelium prodimus.

2) Negative:

Certum est sententias adversarias quoad eorum refutationem jam constituisse praecedenti ex demonstratione; nam ut minus principia posuimus et plerumque ipsam refutationem. Attamen ut veritas adhuc magna cum splendore reluceat ad eamque defendendam contra errorem, maxime oportet ut lacessamus errantes proclio. Hoc erit officium hujus partis negativae.

Desiderandus sit autem ut ad ultimum discrimen eos adducamus, sed limites theses nostrae non patiuntur; quamobrem forsitan et non libenter aliquando eis parcemus. His positis, secundum ordinem supra allatam ad diversarum refutationem sententiarum procedimus.

Prima sententia est tenentium nullum medium haberi potest ad demonstrandam Dei existentiam. Sub hoc capite posuimus traditionalistas, empiristas, idealistas, Kantistas. Nam etiam nostra aetate disceptatum est inter eos qui saltem philosophi dicuntur, unum ratio humana in aliqualem cognitionem Dei existentiae intrare possit.

(1) Traditionalistae quae primo statim assurgunt ad questionem, utrum mens humana mediis naturalibus, hoc est solo lumine rationis ducta et ratiocinatione, ex rebus sensibilibus cognoscere possit Dei existentiam negative respondent ut antea vidimus. Pro eis enim non tantum Deum non immediate videri, sed nec ratione demonstrari posse contendunt, sine socialis traditionis ac proinde revelationis adminiculo. Revelatione autem supposita, concedunt deinceps ad rem declarandam et affirmandam demonstrationes institui. Rationes eorum haec maxime sunt.

Primo dicunt: Intellectus finitus, ut est intellectus humanus, creare non potest in ordine cognitionis, sicut non potest creare in ordine physico. Ergo intellectus humanus in omnibus suis cognitionibus aliquid praesupponit, quasi materiam, scilicet sensibile individuum, cujus universalem naturam intelligit: ita ut nullius rei cognitio intellectiva in nobis detur, sine respectivo sensibili phantasmate ipsius rei. Hoc autem individuum in rebus spiritualibus, cum per sensus haberi non possit, necesse est ut intellectus humanus illud habeat ope externi magisterii.

Secundo: neque, etiam addunt, dicatur veritates ordinis spiritualis haberi posse ex rebus sensibilibus. Nam ita se habent veritates spirituales in ordine ad nostram cognitionem intellectivam, sicut in ordine ad cognitionem sensitivam se habent objecta procul a sensibus posita. Atqui haec secunda non cognoscuntur, nisi prius ea nobis aliquis describat. Ergo neque priores veritates. Fundamentum est majoris disproportionis major existens inter res sensibiles et spirituales quam inter sensibilia praesentia et absentia.

Sed eorum argumenta primo non valent et secundo non videmus quibus rationibus sustineri posse traditionalismum. Nam res creatae sunt ita connexae cum Dei existentia ut possint ducere rationem humanam, destitutam praevio magisterio extrinseco, ad cognoscendam Dei existentiam cum certitudine. Certissime, inter creaturas et Deum non datur proportio entitatis seu perfectionis, tamen datur connexio

et proportio habitudinis; res enim creatae sunt effectus causae maxime superioris, scilicet Dei, et hoc sine ulla evidentiali extrinseca habere possumus. Nam demonstravimus antea quod ex quocumque effectu cognosci potest existentiam causae. Et proinde ex rebus creatis in quantum sunt effectus ascendere possumus in cognitionem perfectam Dei existentiae et aliquomodo naturae ejus. Non dicimus nos habere perfectam Dei cognitionem quoad ejus naturam, quia ut etiam dicunt et admittunt adversarii nullius rei cognitio intellectiva in nobis datur, sine respectivo sensibili phantasmate ipsius rei, et proinde non dicimus habere perfectam Dei cognitionem quoad ejus naturam, comparatio enim rerum materialium ad Deum numquam esse proportionata, de hoc quisquis habens rectum mentis iudicium non dubitat, sed tantum dicimus habere Dei existentiae cognitionem ex rebus creatis quae palam eorum dependentiam a Deo proclamant. "Coeli, enim, enarrant gloriam Dei". "Quomodo igitur narrant, ut inquit Sanctus Joannes Chrysostomus? Dic mihi: Vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua quomodo igitur narrant?" Et postea merito respondit: "Per ipsum aspectum. Cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm formam per tantum temporis permanere, tanquam vocens audiens et ad aspectum discens, adoras Eum, qui tam pulchrum et admirabile corpus creavit. Tacet coelum, sed ipsius aspectus vocem tubae clarioris emittit, per oculus, non per aures nos docens: hic enim sensus a natura est illo celsior et manifestior." (Hom. X ad pop. Antioch. p. 79). Itaque cum ergo Dei existentia

cujus non est phantasmata cognoscitur a nobis per creaturas, nullomodo valet primum argumentum. Nam "incorporea, dicit St. Thomas, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur a nobis per comparationem ad corpora sensibilia quorum sunt phantasmata (et hoc conscientia nobis testatur); sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei circa quam veritatem speculamur."

Immo schola traditionalista admittit ideas per viam abstractionis acquisitas extra disciplinam traditionalem plane esse elementa quibus ratio nostra utitur ad demonstrandam Dei existentiam postquam haec veritas revelata fuit. Atqui si intellectus demonstrare valet post revelationem, cur non ante? Elementa demonstrationis nonne sunt eadem? Et igitur in quo fundatur intellectus humani impossibilitas ad demonstrandam Dei existentiam ante revelationem? Si autem dicunt nullam connexionem existere inter Deum et creaturam, quomodo etiam supposita per revelationem primitivam notitia Dei existentiae, intellectus humanus scientifice Dei existentiam demonstrare posset? Nam revera haec demonstratio, etiam post revelationem indigeret principio solido, connexione necessaria ut sit sufficiens motivum ad tollendum quodcumque dubium; quid ergo convinceret intellectum? Nobis videtur, melius esset et magis logice simpliciter negare vim cujuscunque demonstrationis; et proinde scepticissimi doctrinam amplecti.

(2) Empiristae autem et idealistae kantistae

etiam negant existentiam mediæ probativi ad cognoscendam Dei existentiam. Ipso facto pugnabimus agnosticis, cum enim

haec systemata sunt duae formae agnosticismi. Nam ut dicitur in encyclico "Pascendi Domini gregis": "Vi hujus humana ratio phaenomenis omnino includitur rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent; earundem praetergredi terminos nec jus nec potestatem habet."

Eorum argumentum ad hoc reducitur. Principium causalitatis nullam necessitatem neque vim ontologicam et transcendentem extra ordinem phaenomenorum. Atqui demonstrabilitas Dei existentiae in necessitate causalitatis principii in ejusque virtute ontologica et transcendentem extra ordinem phaenomenorum fundatur. Ergo demonstrabilitas non est possibilis quia nullum medium probativum habetur.

Major patet, nam eorum logica nominalista eos adducunt ad negationem necessitatis principii causalitatis ejusque virtutis ontologicae et transcendentis extra ordinem phaenomenorum. Concipiunt enim causam vel ut meram factorem successionem, vel ut antecedens invariabile et inconditionatum. Minor autem fulget ex omnibus supra dictis in parte positiva.

Attamen major rejicitur triplici modo. Primo quia repugnat sensu communi; secundo quia est evidenter analyticum; tertio quia est intime connexum cum principio contradictionis.

Negatio causalitatis principii repugnat sensu communi. Nam nemo serio animo asserere potest v.g. messes haberi posse sine susceptione seminis, aerem sine luce illuminari, filium sine parentibus generari, cogitationem dari sine cogitante, aedificium esse sine aedificatore. Atqui

omnia haec exempla secundum sensum communem, non est meram successionem factorum, sed verum et reale principium et causa. Fecundatio semine realiter influit. Lux realiter causat illuminationem aeri. Et proinde semen et illuminatio vere sunt effectus fecundationis et lucis. Similiter existentia filii, aedificii, esse cogitationis realiter sunt effectus quae ut tale a causis dependent. Et si aliquis hoc negaret, merito dementiae ab omnibus accusari posset. Ergo principium causalitatis evidenter a sensu communi imponitur.

Denique principium causalitatis est evidenter analyticum. Quidquid enim efficitur seu causatur dicitur effectus. Unde efficitur seu causatur vel a seipso vel ab alio. Non autem a seipso quia antequam efficiatur non existit, et id quod non existit non potest sibi dare esse. Ergo necessario efficitur seu causatur ab alio. Non autem a seipso quia antequam efficiatur non existit et quod non existit non potest sibi dare esse. Ergo necessario efficitur seu causatur ab alio qui propter hoc dicitur causa hujus effectus. Unde omnino constat notionem principii causalitatis fulgere et emergere ex ipsa analysi effectus. Nam effectus est subjectum in principio causalitatis; et cum effectus necessario dicat relationem ad causam sequitur praedicatum principii causalitatis, nempe causa necessario includi in principio, seu constat ex ipso analysi subjecti. Et ideo hoc principium dicitur analyticum. Indoles enim principiorum analyticorum in eo consistit ut sit inclusiva et intrinseca principio.

Item principium causalitatis intime connectitur

cum principio contradictionis. Principium enim contradictionis est "impossibile est aliquid simul esse et non esse eodem sub respectu". Atqui si verum non esset principium causalitatis, si nullam necessitatem haberet, effectus, seu causatum, esset causatum, et simul non esset causatum, seu esset actuum et simul non esset actuum, quia non esset a causa a qua exclusive habet quod sit et dicatur causatum. Ergo principium causalitatis negari non potest nisi rueret ipsum principium contradictionis.

Ergo clarissime constat falsitatem hujus sententiae. Ut sint enim logici, fautores ejus, secundum earum principia, negare debent omnes notiones omnino primarias et omnino certissimas intellectus nostri. Et proinde error nobis videatur non magis deorsum descendere posse; attamen evolutionismus, quem statim refutabimus, adhuc absurdius systema nobis offert.

Secunda sententia est tenentium medium physicum esse ex parte Dei. Jam enim vidimus quod aliqui admittunt Deum esse mediante aliqua evolutione. Nam secundum evolutionismum "fieri" seu "evolutio mundi" esset principium rerum omnium et ipsam existentiam Dei ei concederet nisi mediante hac evolutione. Ita secundum principia idealista Hegelii Deus fit actu et personalis vi successivae effectiois formarum finitarum, in quas assidue se convertit esse indeterminatum, quod idea continetur, donec in homine et potissimum in societate ad sui conscientiam perveniat. Quare rerum et cogitationis evolutio est evolutio ipsiusmet Dei, qui

proprie nonnisi in fieri et successiva explicatione entium finitorum cernitur. Bergsonismus autem quod est quasi hegelianismus inversus, affirmationem Dei existentiae fundat super hoc principium, nempe "plus est in motu quam in immobilitate, et ideo secundum hanc scholam ex motu haberi immobilitas sed non e converso et proinde non datur primus motor immobile, actus purus, sed evolutio creatrix.

Contra hanc sententiam refutatio facilis est. Nam Aristotelis jam contra antiquas errores, quae hi recentes nova sub forma tantum repetunt, per miram doctrinam potentiae et actus questionem resolvit. Unde ad eorum refutationem has notiones revocamus. Ita igitur sub lumine hujus doctrinae ostendebimus impossibilitatem aut potius absurditatem hujus sententiae sub utraque forma materialistica et idealistica.

Evolutionismus absolutus enim, quicumque sit, ponit "fieri" seu evolutio mundi ut principium rerum omnium, et proinde mediante hac evolutione ducitur ad aliquem deum nullomodo distinctum a mundo, quod est pantheismus ut etiam ab eo profitetur. Unde hoc systema admittere debet Deum esse productio seu causa suiipsius. Quod idem esset dicere ens in potentia ad existentiam et simul in actu existendi. Atqui hoc absurditate maxime laborat ut constat. Quid enim tam pugnat quam dicere aliquid simul esse in actu et in potentia sub eodem respectu. Nam Deus ut primum ens necesse sit in actu et nullomodo in potentia. Licet enim in uno et eodem quod exit de potentia in actum, prior sit tempore potentia quam q

quam actus, simpliciter tamen prior est actus quam potentia. Secus perfectum ex imperfecto, plus a minori exiret; ex nihilo aliquid novum esset sine causa superiore, id quod valde absurdum esset. Nam ut jam statuimus subjectum mutabile seu potentia de se imperfectissimum, non est per suam essentiam suum esse, id est non includit existentiam in sua definitione, sed tantum concipitur ut capacitas existendi. Ergo hoc subjectum mutabile non est ens a se sicut non movetur nec operatur a se; nec est ex praecedenti subjecto, cum sit primum subjectum, et proinde ex nihilo productum est. Haec productio autem ex nihilo, ut constat, non potest fieri nisi per ens in actu eminentissimo modo seu per potentiam infinitam creatricem. Et igitur plane evolutio non potest esse suiipsius causa creatrix, quia sic esset ens contradictorium, esset enim simul in potentia et in actu eodem sub respectu.

Immo evolutionismus absolutus necessario negare debet prima principia, nempe principium causalitatis efficientis, finalitatis, mutationis, rationis essendi, substantiae et ipsum principium contradictionis seu principium identitatis. Fautores enim hujus systematis negare debet: primo, principium causalitatis cum admittunt principium reale omnium rerum non esse a seipso et ab aeterno constitutum et perfectum, sed e contra evolvere et semper transire a statu imperfecto ad statum magis ac magis perfectum. Et igitur dicere debent quod plus a minori efficitur. Unde dicere quod plus a minori efficitur nonne sit negare ipsum principium causalitatis efficientis? Nam istud plus entis esset sine causa

efficiente, et surgeret a nihilo absque causa creatrice;
secundo, principium finalitatis. Nam secundum evolutionismum absolutum non existit ens a se et ab aeterno intelligentia ordinatrix. Et igitur pro isto systemate ordo constantia rerum in proprios fines non indiget explicatione, non exigit unam conceptionem. Et proinde omne agens non necessario tendit ad finem saltem executive, scilicet ad finem a seipso vel a superiori agente intentum; tertio, principium mutationis. Evolutionismus absolutus enim confundit, sine ulla distinctione subjectum evolutionis et ipsam evolutionem seu ipsam fieri universale. Ergo quid valet principium "omne quod movetur ab alio movetur"? Num sit ipsa negationem principii mutationis? quarto, principium rationis essendi. Nam, ut constat, si ens transcendens seu motor immobile non existit, ipsa evolutio, quem evolutionismus absolutus admittit ut realitas fundamentalis, non haberet rationem essendi saltem ab alio. Neque autem a se, cum evolutio sit motus seu transitus a potentia ad actum seu transitus ex indeterminatione ad determinationem et ex indeterminatione nihil sequitur. Ergo evolutionismus certissime principium rationis essendi admittere non potest; quinto, principium substantiae. Secundum enim evolutionismum absolutum ut antea diximus una est realitas, nempe ipsum fieri universale sine subjecto, phaenomena sine rebus apparentibus. Unde nullam substantiam transmutari, nullum substratum mutationum. Ergo nullam substantia existit; sexto, ipsum principium contradictionis seu identitatis. Nam ut constat ex praecedentis dictis ad negationem hujus principii reduci potest. Attamen etiam

directe negatur a fautoribus hujus sententiae. Dicunt enim ens et non ens esse in ipso fieri, et ideo negant absolutam oppositionem entis et non entis.

Et igitur quid amplius dicere possumus? Ad quem pejorem absurditatem redigi possunt? Cum enim haec principia omnino primaria sint leges fundamentales rationis et proinde omnis scientiae? Quid enim magis imponitur assensionem intellectus quam haec principia? Attamen aliquid adhuc addimus. Evolutionismus absolutus rationem essendi non habet nisi in demonstratione perfectissima per absurdum demonstrabilitatis Dei existentiae. Nam ut vidimus existentia modii probativi ad cognoscendam Dei existentiam fundatur in veritate principii contradictionis et in necessitate aliorum principiorum rationis. Et proinde evolutionismus absolutus etiamsi non existeret excogitare non possemus meliorem demonstrationem per absurdum, cum haec omnia neget.

Corollaria:

Ergo Deus in ordine ontologico est causa prima omnium rerum, et ut talis esse debet ens a se, ens necessarium, omnino purum, infinite perfectum in quocumque genere perfectionis. Nihilominus in ordine logico Deus non est primus, quamvis sit primum logicum absolute. Nam Deum dici potest esse quidem in quo omnia cognoscuntur, non tamen ita quod alia non cognoscantur nisi eo cognito, sicut in principiis per se notis accidit, sed quia per ejus influentiam omnis cognitio in nobis causatur. Ratione enim debilitatis intellectus humani, Ens summe perfectum a quo omnia dependent nobis non immediate

cognoscitur, sed mediante cognitione creaturarum quae eorum dependentiam a Deo manifestant. Et proinde cognitio nostra intellectualis dependet a Deo tanquam a principio essendi, sed non tanquam a principio cognoscendi. Ita etiam exemplar divinum, cum enim sit ipsa essentia divina prout imitabilis est ad extra, dicitur praecedere ens creatum quod est ejus "realisatio" extrasubjectiva; attamen hoc exemplar divinum neque primo, neque immediate cognoscitur sed tantum per ejus effectus i.e. per speculum entis creati. Ergo mens humana res existentes secundum eorum esse intelligendo, ipso facto, sed implicite tantum, Deum intelligit. Si autem veram et ultimam rationem hujus entis creati inquirat, necessario et explicite ad Dei existentiam ascendit per ratiocinium.

Denique quamvis creaturae existentia intime connectitur cum Dei existentia a quo tam dependet ut, unoquoque momento, nullomodo agere et vivere posset sine hujus concursu, attamen causa non est impedimento quominus esse creaturae essentialiter sit distinctum ab esse divino. Nam Deus ut ens a se et actus purus est infinite perfectus et incommunicabilis ad extra; unde opponitur creaturae quae ut ens ab alio, i.e. per participationem, est finita, actus impurus et omnino contingens.

Ita est igitur, ut nobis videtur, S. Thomae doctrina circa demonstrabilitatem Dei existentiae. Et nunc quoniam thesis claudenda est, non volumus occasionem amittere quin faciemus hanc considerationem quae speciali modo mentem nostram pepulit per dissertationem, videlicet: admirabile

spectaculum catholicae Ecclesiae ad purissima veritatem mundum ducenti. Duo enim civitates in hoc mundo eriguntur: Dei civitas et terrena civitas. Ex hac namque existunt philosophici qui profitentur rationis tantum praecepta unice sequi; ex illa autem sunt philosophici qui, haud minus sequendo rationis praecepta, tamen per infaillibilem magisterium diriguntur. Primi, solis viribus mentis humanae relictis, plerumque in eorum possessione errorem et confusionem retinent. Secundi autem virtute hujus magisterii infaillibilis, tuto animo, ad veritatis acquisitionem verae philosophiae via grassantur. Et ititur si volumus in lucem veritatem diffundi, pie audiamus hujus Matris tam sapientis praecepta. Angelici Magistri simus fideles discipuli, cum ipsa sic clare quidem mandet: "philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita."

Hac consideratione facta, thesim nostram claudimus dicendo propemodum ut sanctus Augustinus in fine "Civitatis Dei": videtur nobis debitum hujus operis reddidisse. Quibus parum, vel quibus nimium est, nobis ignoscant: quibus autem satis, non nobis, sed Sacratissimo Corde Jesu et Beatae Mariae Immaculatae quibus hoc opus totaliter dedicavimus, nobiscum gratias congratulantes agent.